
RVARD
VERSITY
BRARY

QUIBUS FONTIBUS PLUTARCHUS IN VITIS ARATI, AGIDIS, CLEOMENIS ENARRANDIS USUS SIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIX. MENS. MART. MDCCCLXXXIII

HORA XII

UNA CUM THESIBUS ADJECTIS PUBLICE DEFENDET

CARL FRIEDRICH GUSTAV GOLTZ.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:


JUSTUS BUZELLO, CAND. HIST.,

JOHANNES ROCKEL, CAND. PHIL.

INSTERBURGI.

EX OFFICINA WILHELMIENSE.

MDCCCLXXXIII.


HARVARD COLLEGE
JUL 18 1911
LIBRARY

FRANCISCO RUEHL

RUDOLPHO SCHUBERT

S.

UNDE MANAVERINT EA, QUAE A PLUTARCHO IN VITIS ARATI, AGIDIS, CLEOMENIS, ENARRANDIS, PROFERUNTUR, QUAERITUR.

Vitae Arati, Agidis, Cleomenis, cum saepius arctissime inter se conjunctae et connexae sint, ne, quae concluduntur, aut sint incerta aut non ab omni parte rem ponderantia, una tractentur necesse esse mihi videtur. Nam cum fontes Plutarchi ex duobus

---

Quae in singulis vitis perscrutandis versantur quaestiones hae sunt:
Lucht: De Arato Sicyonio. Kiel 1838. Progr.
Kracauer: De Arato Sicyonio. Bresslau. Dissert. 1874.
Koepke: De Hypomnematis Graecis. Brandenburg. Progr.
Thoms: De Phylarchi vita et scriptis. Leipzig 1836.
Brueckner: Phylarchi hist. reliquiae. Bresslau 1839.
Lucht: Fragmenta historiar. Phylarchi.
Schoemann: Prolegom. ad vitas Agid. et Cleomen. Plutarch. Greifsw. 1859.

Et quae praeterea de Phylarcho et Arato scripta sunt, quum in pluribus operibus dispersa inveniantur, praemittenda esse puto. Sunt autem haec.
Sevinus: „Recherches sur la vie et les ouvrages de Phylarche." Mém. de l'acad. des inscript. f. XI p. 185.
Niebuhr: Vorträge üb. alte Gesch. III S. 5 u. 349.
Hanso: Sparta III, 2 p 133 sqq.
Creuzer: Die histor. Kunst der Griechen. S. 343.
Haug: Quellen Plut's in den Biogr. der Griechen. Tübingen 1854. Diss.
Lukas: Ueber Polyb Darstellung des Aetol. Bundes. S. 57 ff. Königsberg 1827. Progr.

infestis castris fluxerint, cum ea, quae in vitis Agidis et Cleomenis proferuntur, praecipue ab iis, qui cum his regibus popularibus, quae de vita Arati dicuntur, aut ab Arato ipso aut ab iis, qui cum hoc duce Achaeorum tum potentissimo fuerint, manaverint, nisi rem una tractaverimus, fieri non potest, quin, aut quibus rebus aut quibus scriptoribus fides habenda sit, recte judicemus. Quin etiam Schoemannus in quaestionibus, quae ad Agim et Cleomenem pertinent, Phylarchi studio ductus contra Polybium et Aratum dixit. Cujus sententiae auctoritatem cum multi sequerentur, ut Cleomeni et Phylarcho laudatori ejus, majus, Arato et Polybio minus, quam par esset, pretium statueretur, effectum est. — Sed fontes vitarum nostrarum una tractare, eosque a primis initiis repetere modo ad artem redacto adhuc omnino non temptatum est. Attamen, nisi id factum erit, fieri non potest, quin in cernendi et judicandi arte proficiamus, neque aliter res illorum temporum perspiciemus et intelligemus.

Atque in quaestione mea ordinem temporum observans primum de fontibus Arati c. 1—35 Agidis Cleomenis c. 1—4 agam, deinde fontes belli Cleomenici, quod enarratur in Arato a capite 35 usque ad 46 et in Cleomene a c. 4—30, una tractabo, denique ultimas res a Cleomene et Arato gestas, quae inveniuntur in Cleomenis vita capitibus 30—39 et in Arati c. 46—54 iis adhibitis e Polybio et Pausania, quae huc pertinent, enarrabo.

Brandstaetter: Gesch. des Aetol. Bundes. 1844.
Van Capelle: Cleomenes III. Haag 1843. Dissert.
Klatt: Forschungen zur Gesch. des Achaeisch. Bundes. S. 8 ff. Berlin 1879.
Flügel: Die Quellen zu Plut. Lycurg. S. 25 ff. Marburg 1867. Diss.
Peter: Ueber den histor. Wert der Biographie des Lycurg. Rhein. Mus. N. F. XXII 1867.
Grote: History of Greece II p. 482.
Valeton: De Polybii fontib. et auctoritate. Utrecht 1879.
Blass: Attische Beredsamkeit von Alexander bis August. S. 48 f.
Erwin Rohde: Der griech. Roman. S. 51 f.
Droysen: Geschichte des Hellenismus. II S. 246. III S. 208 f. III, 2 S. 82 ff.
Thirwall: History of Greece VIII.
Freeman: History of federal government.

DE ARATI CAPITIBUS 1—35.

Ac primum quidem Plutarchus res Sicyonias describit ex iis temporibus, quibus Clinias, pater Arati, in publicum prodit, et diutius in familia ejus moratur, ita ut eum, qui diligentius animum intenderit, fugere non possit, summo studio Arati eum esse incensum. Jam vero, quod Clinias summis laudibus effertur, ii autem, qui ei antecesserunt et successerunt, vehementissime vituperantur, et quod Sosonis, a qua Aratus Abantidae ereptus erat, mentio fit, et qua necessitate illa cum Clinia conjuncta fuerit, accuratius definitur, ab eo scriptum esse, qui non longe afuerit ab Arato et partibus ejus favuerit, apparet. Quodsi infesta consilia Arati in Sicyonem ab indigno imperio Nicoclis profecta dicuntur, hoc eidem scriptori tribuendum esse puto, quem accuratius cognoscemus, si cap. 4—9 diligenter perscrutati erimus, quibus, quomodo Sicyon oppressa sit, enarratur. Neque enim dubitare possumus, quin ea, cum et praeparatio et perfectio ipsa rei accuratissime descriptae sint, ab eo litteris mandata sint, qui totam rem administraverit. Nam quomodo Aratus rem instituerit, quae fieri jusserit de muris perquirendis (cap. 5), de scalis faciendis (c. 6), de militibus conscribendis, de armis arcessendis (cap. 6), denique quomodo milites ex latratu canum extimescentes adhortatus sit, quaeque iis promiserit, nemo nisi Aratus ipse tam accurate narrare potuit. Jam vero, quod homines, qui erant haud magni momenti ad rem perficiendam, sed qui, ut erant socii Arati, huic cordi erant, nominantur, deinde quod Seuthas et Technon, servi Arati, commemorantur, denique quod neminem in re perficienda interfectum aut sauciatum esse iterum ac saepius (cap. 8 et 9) dicitur, hanc descriptionem ad Aratum ipsum revocandum esse puto. Is enim plus triginta libris commentariorum scripserat, quibus res ab ipso gesta continebantur. (Polyb. II, 40, 4 Müller Fr. hist. Graec. III. p. 21); iis autem commentariis Plutarchum in vitis et Agidis et Arati et Cleomenis usum esse constat (cfr. Ag. 15 Cleom. 19 Arat. 32 et 39). Sed non ad commentarios solos ea pars, de qua modo dixi, revocanda est; nam ad caput tertium alius quidem fons a Plutarcho adhibitus et cum commentariis conjunctus est. Ibi enim rerum enarratio-

brevi morum descriptione Arati pueri interumpitur a versu primo ad decimum quartum.* Quam morum descriptionem Arato ipsi attribuendam esse vix quispiam credat, praesertim cum etiam res de eo referantur, quae ei opprobrio sunt. — Sed ad illud quoque animum intendamus, Plutarchum etiam suam sententiam adferre. Dicit enim haec: *ἐπιφαίνεται δ' ἀμέλει καὶ τοῖς εἰκόσιν ἀθλητική τις ἰδέα κ. τ. λ.* et *καίτοι γεγονέναι κομψότερον εἰπεῖν ἢ δοκεῖ τισιν ἐκ τῶν ὑπομνημάτων κρίνουσιν.* — Haec vero morum descriptio, quae capite tertio continetur in capite quarto denuo recipitur inde ab *ἢ δη μειράκιον* usque ad *αὐτοῦ τὴν ὁρμὴν* et ita quidem ut iterum rerum enarratio interrumpatur. Deinde Plutarchus, cum Nicoclis timorem inde profectum esse dicit, quod Aratus cum Antigono et Ptolemaeo se conjunxerit, ad priorem fontem redit. Quam causam re gesta, quae in commentariis enarrata esse videtur, enixam a Plutarcho ipso allatam esse verisimile est, ut ita fontes arctius inter se conjungerentur. Ipsa autem res gesta his verbis *καὶ γὰρ ἀληθῶς ὁ Ἄρατος ἐπεχείρησε τὴν ὁδὸν ἐκείνην βαδίζειν* allatis ex commentariis comprobatur. — Alterum vero fontem Plutarchus a c. 6, 18, ubi haec *κατασκόπων τινῶν* .., ad c. 7 longius prosequitur. Hic quoque cognoscitur, parte nostra omissa sententiarum ordinem nihil detrimenti capere, partem vero omissam, cum iis, quae in quarto capite de Arati et Nicoclis inimicitiis dicuntur, facile conjungi posse. Ut temporum ordinem servaret, Plutarchus et hic et aliis permultis locis videtur adductus esse, ut inferiorem fontem divelleret atque enarrationi, quam praecipuus fons praebebat, insereret. — Sed illud Myrtili, rerum scriptoris, qui quibus temporibus floruerit, non satis constat, quod in c. 3 invenitur, Plutarchum e memoria addidisse, neque omnino ad Arati historiam pertinere, puto. — Iis vero partibus, quas modo dixi c. 3, 4, 6., omissis, continua rerum enarratio inde a cap. 2 usque ad 9, 25 relinquitur, quam ad commentarios ab Arato scriptos revocandam esse supra demonstravi.† Atque a cap. 9, 25 ubi haec: *μικροπολῖται γὰρ ἦσαν* ..

* Versus ad editionem criticam quam C. Sintenis comparandam curavit, referuntur.

† Koepke l. l. p. 14. commentarios singulos libellos, quibus Aratus opprobria rejecerit, fuisse ratus c. c. IV—IX et XVIII—XXIII, quibus

Plutarchus in commentationibus moratur nullis rebus additis, nisi quae jam antea commemoratae sunt. — Iam transeamus ad c. 10, quo Plutarchus, quibus virtutibus Aratus et in exercitu ducendo et in republica administranda praeditus fuerit, describit et ita, ut c. 3 et 4. virtutes pueri et adolescentis enumeratae erant. Quae hic nova offeruntur imprimis hoc: *καὶ θεάτρου μίαν φωνὴν ἀφιέντος ὡς οὐδενὸς . . . ἐραστής* ut alter fons qui nobis in tertio capite occurrit ad aequalem Arati videntur revocanda esse. Quodsi Aratus ignavus fuisse dicitur, et, quod philosophorum eruditione caruerit, reprehenditur, ab inferiore fonte, qui ad cap. 3, 28, 29 adhibitus est, repetitum esse verisimile est.

Sed c. XI et XII rerum enarrationem longius prosequuntur et facile iis, quae sunt in c. 9, 25 *ὑπέδυσαν ἑκουσίως ὄνομα καὶ πολιτείαν τὴν Ἀχαιῶν*, adjunguntur. Utrumque vero caput, cum in iis nihil nisi res ad Aratum ipsum pertinentes tractentur, hac ipsa re demonstratur e commentariis illis Arati, qui a Polybio *περὶ τῶν ἰδίων* inscribuntur, demanasse.

Capite XII quo iter Arati ad Ptolemaeum, ut eum commoveat ad Sicyonem pecunia adjuvandam, narratur, res singulae tam accu-

---

expugnatio Sicyonis et Corinthi continetur, a commentariis abjudicat, et loco Polybii IV, 8 commotus, quem non recte percepit, ad Phylarchum ea revocavit. Dicit autem haec: „Polybius enim ubi loculentissime, quae „ab Arato in expugnondis Sicyone, Mantinea, Pellene maximeque Corintho „data essent, et calliditatis et patientiae et audaciae specimina enumerat, „ea non ex commentariis desumpta esse, dicit, sed ex *ἱσορηκόσιν κατὰ* „*μέρος περίτε τῆς Σικυῶνος καὶ Μαντινείας καταλήψεως* . . . „In iis, Phylarchum suum auctorem esse, Polyb. dicere non debuit, quoniam „ipse in eum vehementissime invectus est.“ Sed loco Polybii nihil eorum, quae K. intelligi voluit, continetur. Neque enim, quae de Sicyonis et Corinthi expugnatione commemorantur, e commentariis non repetita, neque ad alios scriptores revocanda esse, Polybius voluit. Nam *ἱστορηκότες κατὰ μέρος* qui vocantnr sunt ii, qui in rebus singulis perscrutandis versati sunt.

* Droysen III p. 343 illa: *καίπερ συμβολὰς τῷ κοινῷ μεγάλας δεδωκώς (ὁ Ἄρατος)*, quae exstant XI, 3, non recte interpretatus est dicens: Aratum in conciliis nova et grandia consilia proposuisse. — Nostra ad verba sequentia *τὴν ἑαυτῶ δόξαν καὶ τῆς πατρίδος δύναμιν* pertinent eisque attributa sunt.

rate describuntur, quam in c. 6—9, qua re ea ex Arati commentariis fluxisse creditum est. Quin etiam, Aratum quondam noctem inquietam sub divo transigere coactum esse, Plutarchus tradit.

Cap. XIII Plutarchus a rerum enarratione aberrat, ut de Arati amore artium liberalium et maximis ornamentis Sicyonis agat, id quod a Polemone repetitum esse dicitur (cfr. Müller: frag. hist. Graec. III p. 111.) Titulum autem libri ex quo ea, quae dixi, sumpta sunt Athenaeus VI, 253 B et XIII 577 C „περὶ τῆς ποικίλης στοᾶς τῆς ἐν Σικυῶνι„ nominat.* — Ac summa necessitate Aratum cum Ptolemaeo conjunctum fuisse, cum saepius ei tabulas pictas donaret, ex Polemonis libro etiam petitum videtur esse. Aratus enim ipse necessitatem, quae ei erat cum Ptolemaeo priore loco (cap. 4) commemoraverat, sed aliter comprobaverat. Itaque commentarios ab his verbis αὐτόθεν τῷ βασιλεῖ διακειμένῳ πρὸς αὐτὸν οἰκείως ἐνέτυχε, quae sunt in XII, 26 abrumpi et in c. XIII, 23 ubi haec: καὶ διδοὺς πεῖραν ἔτι μᾶλλον ἥψατο recipi, quae autem intersunt ad Polemonem revocanda esse, puto.

Post brevem intermissionem, quae considerationibus ipsius Plutarchi fit, quae c. XIV, 1—12 continentur, verbis ἀποδειχθεὶς γὰρ commentariorum enarratio denuo recipitur. Aratum, ut possessiones Sicyonias ad normam dirigeret, solum arbitrum, cui ratio reddenda non esset, factum esse narratur. Sed cum oneri minus parem se esse putavisset civium quindecim ad rem perficiendam eum adhibuisse. Quae enarratio, cum Arati partes sequatur, quod difficultates muneris in medium profert et maximam gratiam ei a civibus habitam, quod tam egregie rempublicam administrativisset, addit, sine dubio ad Aratum ipsum referenda est.

---

* Preller in libro, qui inscribitur: Polemonis fragmenta et Müller l. l. loco Athenaei XIII p. 567 B commoti alterum librum de artificiis Sicyonis, qui inscribitur: περὶ τῶν ἐν Σικυῶνι πινάκων libris Polemonis addunt. Sed duos libros Polemonem de arteficiis Sicyonis conscripsisse, non est verisimile. Athenaeum potius hoc loco, quo tantum hic titulus invenitur, librum iam supra commemoratum titulo neglecto significare, putandum est. Legimus autem haec: μνηονηεύει δὲ αὐτῶν ὡς ταῦτα καλῶς γραφόντων Πολέμων ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν Σικυῶνι πινάκων, quae Athenaeum e memoria abdidisse, verisimillimum est.

Ac simili modo maximas gratias Arato ab Achaeis relatas esse, cap. XXIV, XXXV, XLI traditur. De eisdem vero rebus, quas Plutarchus cap. IX—XIV memoriae prodit, Cicero in libro de officiis II, 23 dicit. Ac primum quidem quod Cicero item de eadem re sentiat, deinde, quod eandem temporum definitionem inveniamus, si scriptum legimus: „quinquaginta annorum* possessiones non nimis aequum putabat...“ „Arat. cap. IX οἷς μακρὰ ἦν ἡ πλάνη καὶ ὁμοῦ τι πεντηκονταετής...“, tum quod Aratus non solus, sed, quindecim civibus adhibitis, controversias composuisse et ipse iter in Aegyptum fecisse dicatur, ut pecuniam procuraret, cohaerere inter se enarrationes et etiam ea, quae a Cicerone dicuntur, e commentariis demanasse puto. Denique Cicero his verbis: „perfecitque aestimandis possessionibus, ut persuaderet aliis, ut pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent, aliis, ut commodius putarent, numerari sibi, quod tanti esset, quam suum recuperare“ — qua ratione Aratus usus sit, significat. Quae res et Plutarchum, qui id omittit, et Pausaniam II, 8, qui non accurate narrat, supplet. —

Cap. XV a Ptutarcho, Antigonum, ut Aratum sibi conciliaret, si minus, ut ab Aegypto discederet, calumniis perficeret, operam dedisse narratur. Quod haec commemorantur, Aratum narratorem esse, verisimile est. Certius autem illud, Aratum officia, quae Antigonus ei praestiterit, non cupiisse ἄλλας τε φιλανθρωπίας ἐνεδείκνυτο (ὁ Ἀντίγονος) μὴ πάνυ προςιεμένῳ (τῷ Ἀράτῳ) ad commentarios mihi referendum videtur esse. —

Sed res Corinthi facta,† quam Plutarchus affert inde a verbis καὶ θύων θεοῖς ἐν Κορίνθῳ obstare videtur, ne, ab Arato ipso traditam eam esse credamus. Ea enim Aratus ludibrio habetur

---

* Droysen III p. 342 temporum definitionis rationem non habet 251 + 50 = 301, quo anno pugnam apud Ipsum commissam esse ratiocinamur.

† Droysen III p. 410 mihi videtur errare, quod Plutarchi auctoritatem sequens Antigoni praesentiam Corinthi, quae hoc capite confirmatur, ante mortem Alexandri ponit. Neque enim, cum Alexander cum Antigono dissidens et tandem cum Achaeis conjunctus esset (cap. XVII et XVIII), iis temporibus Antigonum Corinthi ad fuisse, et ita, ut Plutarchus narrat, dominatum esse, putare possumus. —

(Cfr. φῄμην, ἔφη Ἀντίγονος, τοὺ Σικυώνιον τοῦτον νεανίσκον ἐλευθέριον εἶναι τῇ· φύσει μόνον... αὐτὸς οὖν ἀποδέχομαι τὸ μειράκιον).. Hanc igitur partem e commentariis omittendam esse, puto.

C. XVI Plutarchus res sub praetura Arati gestas breviter perstringit, et, qui factum sit, ut iterum sit creatus, exponit. De clade vero Boeotis ab Aetolis illata, quae hic commemoratur, eodem modo Polybius XX, 4, 5 refert. Qui cum commentariis Arati usum se esse ipse profiteatur (Polyb. II, 40,4 et II, 56), Plutarchum eundem librum adhibuisse, putandum est. Sed his verbis: *οὐ Σικυωνίων, οὐδ' Ἀχαιῶν κηδόμενος ἀλλὰ κοινὴν τῆς Ἑλλάδος τυραννίδα τὴν Μακεδόνων φρουρὰν ἐκεῖθεν ἐξελάσαι διανοού μενος* .... Plutarchus, velut in c IV *ὑποπτεύων δὲ τοῖς βασιλεῦσιν αὐτὸν διαλέγεσθαι* .., quibus de causis, Aratum expeditionem contra Corinthum fecisse, ipse existimet, exponit et ad considerationes transit. Dicta autem Phocionis (cfr. XIX) saepius profert (cfr. Phocion. V). Philippi vero illud acute dictum etiam in Flamin cap. X adhibitum est. — Sed ab his verbis: *Ἡ δ' Ἀντιγόνου σπουδὴ* XVIII, 1 Plutarchus expugnationem Corinthi ab Antigono factam enarrat. Qua in re et studium ejus mira quadam perspicuitate movendi animos nostros et odium in Antigonum dilucidissime cernuntur, quae Plutarchus, etiam ea, quae maxime verbis aucta sunt, in fidem accepit. Demetrius enim ab Antigono et Phile natus, qui, ut majus discrimen sit inter aetatem illius et Nicaeae, *μειράκιον* appellatur, certe annum tricesimum tertium agebat. — Antigoni vero morum descriptio maxime verbis aucta a commentariis, quantum eos ex iis, quae supersunt apud Plutarchum, cognoscere possumus, valde abhorret. Atque ea imago Antigoni, quam nobis e reliquis locis, qui Arato sunt adscribendi fingimus (cfr. IV, IX, XV) aliena est a deformata imagine, quae in hoc capite nobis occurrit. Quae ei attribuenda est, qui in Cleomen. c XVI et Arat. c. XXXVIII cum in omnes Macedones tum in Antigonum Dosontem vehementissime invehitur, Phylarcho, qui, ut nova et inaudita proferat, saepe verum et verisimile excessit. (Cfr. Schubert; „Quellen Plutarchs im Demetrius, Pyrrhus, Eumenes“ Fleckeis. Jahrb. f kl. Phil IX Spplb. 1878 p. 796, 800). — Similem autem enarrationem, quae mirum quantum cum nostra

consentit, apud Polyaenum IV, 61 invenimus. Quas narrationes si contulerimus, summum esse consensum et rerum et verborum intelligemus. Sed uno loco Polyaenus plus tradit, ubi haec: *τῶν φυλακῶν περὶ τὴν πανήγυριν ἀσχολουμένων καὶ θέαν κατειληφότων*, quae aqud Plutarchum desiderantur.

Dictum autem illud in fine cap. XVII Plutarcho attribuendum est. — Atque in c. XVIII Plutarchus ad eum fontem, quem in c. XVI reliquit, redit. Narratur autem, quomodo Corinthus ab Arato capta sit. Jam vero in impetu ab Arato facto res singulae tam accurate describuntur, ut, quin res e commentariis petitae sint, dubitare non possimus. Accedit, quod ii nominantur, qui erant haud magni momenti ad rem perficiendam, sed qui necessitate quadam cum Arato conjuncti erant, quales sunt Technon, servus Arati, qui jam cap. V nominatus est, Erginus mercennarius Syrius, Diocles, Dionysius, Aegias negotiator Arati. Ex enarratione vero temeritatis Technonis, quam ob rem Aratum ipsum objurgantem audire nobis videmur, ea omnia ad commentarios referenda esse facile intelligitur. Sed huc non pertinet c. XIX a versu 8 usque ad finem, quo contemplatio Plutarchi de liberalitate et superbia Arati continetur, quem cum Epaminonda et Phocione confert, quo magis eum extollat (cfr. VI, 10 et XXIV, 8). — Atque c. c. XXI et XXII expugnatio Corinthi tam accurate quam res antea gestae narratur, quae narratio ab Arato proficiscitur. Nam spes eventus, metus ejus in re suscipienda, summa omnium rerum vel minimarum intentio tam perspicue in enarratione Plutarchi cernuntur, ut commentarios eum secutum esse putandum sit. Expugnationis autem Corinthi quoque aqud Polyaenum VI, 5 narrationem invenimus. Equidem, cum Polyaenus fere iisdem verbis utatur, Woelflini sententiam, a Plutarcho eam depromptam esse, sequor.*

---

* Fugae Persaei, quam legimus apud Plutarchum, Polyaenum, Hermippum (Athenae. IV p. 162 C = Müller: Frgm. III 52 frg.) obsistit, quod Pausanias II, 8 tradit. Zeller: Philosophie der Griechen III, 1 p. 34 quaestionem in medio relinquit Equidem, cum complura testimonia obsistant, Pausaniae judicium non accipiendum esse neque usquam neglegentiam ejus facilius posse cognosci, puto.

At c. XXIII enarratio mutatur. Aratus enim quiete restituta ex arce in theatrum se contulisse fertur coram Corinthiis res a se gestas excusaturus et, ut foedus faciant, eos commoturus. Cum Arati positio in scena, vultus, gestus describantur, ab eo scripta ea non esse apparet. Dictum vero, quo philosophorum eruditione eum caruisse significatur, ex eo fonte, qui adhibitus sit ad caput III et X, repetitum esse crediderim. Neque dictum illud non alienum esse ab eo fonte, qui sub finem capitis XXIX nobis occurrat, fugere nos potest. Jam supra c. III et X ad eum, qui non longe afuerit ab Aràto, revocanda esse dixi: cui ea quoque quae in hoc capite inveniuntur mihi videntur esse adscribenda. — A capite XXIV rerum enarrationem, quae post c. XXII interrupta erat, scriptor longius prosequitur. Quod vero et quae praeda urbe expugnata facta sit et quae Aratus ad Acrocorinthum custodiendam fieri jusserit, accuratius exponitur, ea quoque ad commentarios referenda esse, exceptis considerationibus Plutarchi, quae a versu sexto ad undecimum pertineant inde a verbis *οἱ μὲν οὖν Ρωμαῖοι* usque ad *ἐδήλωσεν εὐθὺς τὰ γιγνόμενα*, et fine capitis ab *ἑώρων γάρ*..., intelligimus (cfr. Philop 8).

Atque a c. XXV Arati varii conatus Argos a tyrannide liberandi continentur. Ouod vero dolus commemoratur, quo Aratus conjuratis Argivis sicas procuraverit, Aratum ipsum, quippe qui diligentissime res tales referat (cfr. cc. VI, VIII, XII, XX alia) auctorem indicat, id quod ea re comprobatur, quod Argivi, qui impetum Arati in tyrannum non adjuverint, *ἐθελοδούλως ἔχοντες* appellantur. Fine autem capitis considerationes Plutarchi continentur, quibus ad tyrannidem Aristippi describendam transit. Cujus rei fontem cognoscimus ex acri objurgatione ignaviae Aristippi, quae eundem auctorem, quem sexto capite verba *οὐδὲν ἦν ἄρα τυράννου δειλότερον* redolere videtur. In omnibus, quae dicuntur, odium fervens et implacabile non solum in Aristippum sed omnino in tyrannos cernitur, quod odium imprimis in societatibus illorum temporum, quibus homines intererant, qui, ut erant philosophi, de rebus publicis disputabant, colebatur. Quae consilia, quasque rationes illae societates habuerint, ex iis, qui iis praeerant, tyrannorum percussoribus, Ecdemo, Megalophane, Aristomacho, Dinia satis per-

spicitur. Quod vero vitae consuetudo Aristippi accuratissime describitur, Diniam qui res Argivas cognitas habuerit, fontem esse suspicare possumus. Is enim librum, qui Argolica inscriptus erat, scripserat, qui permagnus videtur fuisse cum in complures *συντάξεις*, quae vocantur, divisus sit (cfr. Müller Fr. hist. Gr. III). Qui liber a Plutarcho in c. XXIX vocatur.

Hunc vero rerum scriptorem eundem esse, atque philosophum et sicarium tyranni, quem Aratus in c. III commemorat, verisimile esse credo. Sed quum hoc caput quadam affinitate cum VI capite, quod cum III et IV cohaeret, conjunctum sit, omnes hae partes ad Argolica a Dinia scripta revocandae videntur esse. Adolescentiae autem Arati rationem in illis haberi, mirari non possumus cum adolescens Argis fuerit. —

Capite XXVII, quo modo iterum Aratus impetum in Argos fecerit, narratur. Qua in enarratione res maxime sunt verbis auctae et haec: *ὁ γὰρ τύραννος ἤδη περὶ δρασμὸν εἶχε καὶ πολλὰ τῶν ἰδίων ἐπὶ θάλασσαν προεξέπεμπε*, quibus Aristippus propter ignaviam ludibrio habetur, ad eundem fontem referenda sunt, quo Plutarchus in capite antecedente usus est. Hanc vero impetus descriptionem a Dinia factam si cum ea contulerimus, quam in cap. XXV ex commentariis depromptam invenimus, summum esse consensum rerum intelligemus. Primum enim utroque loco Argivos expeditionem Arati nihil curasse et plane neglexisse iterum atque iterum commemoratur. Nam in c. XXV legimus: „*τῶν πολλῶν ἤδη διὰ συνήθειαν ἐθελοδούλως ἐχόντων καὶ μηδενὸς ἀφισταμένου πρὸς αὐτὸν ἀπεχώρησεν*“ et in c. XXVII „*οἱ μὲν Ἀργεῖοι καθάπερ οὐχ ὑπὲρ τῆς ἐκείνων ἐλευθερίας τῆς μάχης οὔσης ἀλλ' ὡς τὸν Νεμειῶν ἀγῶνα βραβεύοντες ἴσοι καὶ δίκαιοι θεαταὶ καθῆντο πολλὴν ἡσυχίαν ἄγοντες.*“ Deinde utroque loco paucis cum militibus Aratus impetum fecisse dicitur. Mirum autem est, quod deinceps impetu repentino copiis non sufficientibus urbem capere bis temptaverit. Quid, eventu prioris impetus doctum eum satis magnas copias contra urbem duxisse nonne putabimus? Num Achaeos, postquam post priorem impetum laesae pacis accusati et damnati essent, statim idem conatos esse arbitrabimur? — Equidem, Plutarchum, quum aliquid discriminis interesset inter fontes, eandem

rem gestam bis enarrasse suspicor. Sed ex ea re, quod altera enarratio ita incipit: *ἅπαξ δὲ καὶ..* mihi apparere videtur, Plutarchum in illo fonte accuratiorem temporum definitionem non invenisse. Quo magis igitur, ut hanc pugnae descriptionem, quam in rerum ab Aristippo gestarum enarratione ante expeditiones c. XXVIII et XXIX positam invenisset, tanquam alienam a rebus c. XXV narratis adderet, adduci poterat.

Aratus vero, postquam re male gesta laesae pacis damnatus est, proelio cum Aristippo decertare constituit. Sed cum ad Charen flumen progressus agros populatus esset, ab Aristippo victus est. Eam partem, qua Aratum animo timido et de misso cladem accepisse confirmatur, e commentariis non fluxisse intelligitur, cui rei id quoque obstat, quod Aratus sub finem capitis reprehenditur, quia indutias Nemeorum violaverit eosque, qui ludis interfuerint, sub corona vendiderit. Sed facilius ea ad eum fontem, quo Plutarchus in capite antecedente usus est, revocantur, praesertim quum capita naturali quodam modo inter se conjuncta sint et similem sermonis colorem praebeant. Timor autem et animi demissio ei eodem modo in eo quoque fonte adscribitur, qui in c. X adhibitus est. cfr. *πολέμῳ καὶ ἀγῶνι χρήσασθαι φανερῶς ἀθαρσὴς καὶ δύσελπις.*'— Iam vero, cum hoc loco alia occurrant, quae similia sunt enarrationi Diniae, quin hic fons ab Argolicis ejusdem scriptoris non abhorreat, dubitare non possumus.

Capite XXIX denuo Arati et eorum, qui circa eum erant, ratio habetur, qui prioribus capitibus plane neglecti erant. Narratur autem pugna apud Cleonas contra Aristippum commissa. Atque iterum, quae milites facere Aratus jusserit accuratissime dicitur cfr. VIII sq. et XXII. Neque minus, Achaeos paratissimos fuisse ad Aratum sequendum et maxima allacritate, effusius exprimitur. (*ἦγε τοὺς Ἀχαίους ἑπομένους οὕτω εὐτάκτως οὕτω δὲ ταχέως καὶ προθύμως*... cfr. XXIV, 16. Atque caesorum hostium numerus refertur, Achaeorum vero neminem cecidisse extollitur. Itaque ea ex commentariis hausta esse exceptis iis, quae a Dinia repetita sunt (*ὁ μὲν τύραννος ὑπὸ Κρητός τινος ὡς Δεινίας ἱστορεῖ τοὔνομα Τραγίσκου ᾿αποσφάττεται*), evidentissime apparet. Quae vero fine capitis de ignavia Arati et timore proferuntur, quorumque causam

ut explorarent, philosophi studuisse dicuntur, ut sunt arctissime conjuncta cum opprobriis illis capitis XXVIII et X item a Dinia profecta sunt; neque minus cum cohaereant cum dicto illo, quod sub finem c. XXIII invenitur, quae ibi excepta sunt, ad Diniam referantur necesse est.

Atque capite XXX, quomodo Aratus in Lydiadem Megalopolitanum progressus sit, traditur. Quod caput ex enarrationis colore in duas partes dividimus. Summae enim laudes, quibus prima parte Lydiades extollitur, quod tyrannidem deposuerit, Diniam auctorem indicant. Plutarchus autem dicit: *καλλίστην ὁρμὴν μεταβαλλόμενος πρῶτον μὲν ἑαυτὸν ἐλευθερῶσαι μίσους καὶ φόβου καὶ φρουρᾶς καὶ δορυφόρων* cfr. c. XXVI Praeterea propter alias virtutes Lydiadi summa laus tribuitur. At altera parte omnes virtutes ab eo derogantur et factis malae causae subficiuntur. Nam in omnibus rebus studio quam celerrime Aratum gloria superandi ductus esse dicitur. At Aratus describitur is, qui calumniis et invidiae Lydiadis immerito expositus sit. Studium vero Lydiadis minuendi, augendi Arati, Arato ipsi obtrectatori Lydiadis adscribendum est. Sed ut tyrannidem deponeret, Lydiades Plutarcho duabus causis videtur adductus esse: primum nobilitate et ingenuitate animi, deïnde metu Arati et aemulatione gloriae ejus. Quodsi prima causa recte ad Diniam revocatur, altera Arato attribuenda est. Ex iis, quae dixi, sequitur, ut Plutarchus fontes contulerit eosque conjungere studuerit. Neque vero ea causa, quam Polybius Lydiadi subjicit, neglegenda est. Dicit e autem haec II, 44: *Λυδιάδης μὲν οὖν ὁ Μεγαλοπολίτης ἔτι ζῶντος Δημητρίου κατὰ τὴν αὑτοῦ προαίρεσιν πάνυ πραγματικῶς καὶ φρονίμ ως προιδόμενος τὸμέλλον ἀπέθετο τὴν τυραννίδα καὶ μετέσχε τῆς ἡςὲθνικ πολιτείας.** —

C. c. XXXI et XXXII, incursionem Aetolos, foedere icto cum Antigono Gonnata (Polyb. II, 43 et 45, 1), in Peloponnesum suscepisse, quaeque Aratus ad eam defendendam providerit, enarratur.

* Freemann: „History of federal government“ p. 408 hujus loci Polybii rationem non habet, et cum etiam de laudatione inimici illius tyrannorum, quae prima parte capitis nostri continetur, non recte judicet, factum est ut Lydiadis mores non recte descripserit cfr. p. 404—7, 423, 450 sq. — Sed majores laudes quam Freeman Droysen III, 2 p. 32, 39 sqq. ei attribuit. Is enim, bello cum Demetrio gesto confecto, pacis auctorem

Quam ad rem duo fontes adhibiti sunt; id quod inde apparet, quod Plutarchus enarrationem Arati alteri, cujus auctorem non nominat, opponit cfr. XXXII, 10 Ἄρατος οὐδὲν τοιοῦτον ἐν τοῖς ὑπομνήμασι εἴρηκε.

Quae vero e commentariis repetita sunt, inde incipiunt: τρεψάμενος τοὺς Αἰτωλοὺς.. Haec autem verba cum illis, quae c XXXI, 15 inveniuntur: ἀλλ' εὐθὺς ὥρμησε μετὰ των παρόντων ἐπὶ τοὺς πολεμίους ἐν τῷ κρατεῖν ἀσθενεστάτους δι' ἀταξίαν καὶ ὕβριν ὄντας, arctissime cohaerent, ut dubitare non possimus, quin Arati enarrationem, quae ibi quoque facile cognoscitur, excipiant. Jam vero Arati excusatio, quod proelium committere cunctatus sit, ad commentarios revocetur necesse est cfr. Ag. XV. Praeterea Plutarchus haec habet: πολλὰ μὲν ὀνείδη πολλὰ δ' εἰς μαλακίαν καὶ σκώματα καὶ χλευασμὸν ὑπομείνας οὐ προήκατο τὸν τοῦ συμφέροντος λογισμὸν διὰ τὸ φαινόμενον αἰσχρόν. Quibus in verbis ira Arati in adversarios, qui injuria, irrisione, cavillatione contra eum agebant, cernitur et fugere nos non potest, eventu arrepto, eo magis eam oppositionem condemnari. — Parte autem interjecta impetus in Pellenen ab Aetolis factus et direptio urbis ac fuga eorum post primum impetum Achaeorum continetur. Magnam autem victoriam eos reportasse, id quod apud Aratum legimus, hic non invenimus. Clades Aetolorum, si huic narrationi fidem habemus e perturbatione exercitus et terrore velut lymphatico, qui militibus injectus est, cum mulierem bellicosam in solario templi Artemidis conspexissent, orta est. — Enarrationem hanc res admirabiles aucupantem a Phylarcho repetitam esse suspicari possumus; a quo etiam id quod Arati merita negleguntur, non abhorret. At altera narratio inde ab Αὐτοὶ δὲ Πελληνεῖς usque ad παρελέσθαι τὸν λογισμὸν c. XXXII haud scio an a Plutarcho ipso, quippe qui, ut ejusmodi res admirabiles perscrutatur, operam dat, (cfr. Pericl. VI) explorata et tradita sit. Tertiam narrationem apud Polyaenum VIII, 59 invenimus. Sed ea non nisi retractatio est

eum fuisse, putat, eumque, condicionibus ab Arato Atheniensibus latis, quae foederi iniquae essent, odstitisse praedicat. Quae sententiae iis, quae de Lydiade tradita sunt (Plut. Arat. 30, 35 37 Cleom. 6 Polyb. II 44, 5; 51, 3; IV 77, 10) nihil confirmantur.

eorum, quae a Phylarcho dicta sunt, quod comparatione utriusque relationis comprobatur: *πανοπλίαν ἔχουσα καὶ τρίλοφον κράνος ἡ καλλίστη καὶ μεγίστη τῶν παρθένων ἀπὸ τῆς ἀκροπολεως ἀπέβλεπεν.* Sed filiae Epigethis loco Athena dea exsistit neque in solario templi Artemidis sed aute templum Athenae conspicitur.* Pugnae vero enarratio similior expulsioni Aetolorum ex Aegira, quae apud Polybium IV, 58 exstat, quam Plutarchi enarrationi posterioribus temporibus orta esse videtur neque ullum locum habet in rerum gestarum descriptione. Sed quod Timanthes pugnam apud Pellenen commissam pinxisse dicitur, alienum videtur esse ab antecedente relatione et ad fontem a Plutarcho in c. XIII adhibitum, ad Polemonem periegetam, revocandum esse, verisimile est.

Atque c. XXXIII et XXXIV pax cum Aetolis facta et varia tentamina Arati Athenas liberandi ab imperio Macedonico describuntur. Ea re, quod pax cum Aetolis Pantaleone auctore facta esse dicitur, Aratum nostra tradidisse verisimile est, neque errabimus, si notiones ejusmodi de necessitatibus Arati e commentariis repetita esse putamus. Atque primi impetus enarrationem eidem fonti adscribendam esse Plutarchus ipse profitetur. Sequitur Plutarchi ipsius judicium a versu XV ad versum XIX;† deinde, quo modo Aratus in expeditionibus contra Athenas susceptis rem gesserit, narratur. Haec vero cavillatio, quae inest in verbis: *ὥσπερ οἱ δυσέρωτες ἐπιχειρήσας τῷ Πειραιεῖ ὁ Ἄρατος..,* ad Phylarchum spectat. —

---

* Apud Polynaeum legimus: *ἀπέβλεψε ἀπὸ τῆς ἀκροπόλεως* et paulo post: *Αἰτωλοὶ πάρθενον ὡπλισμένην ἐκ τοῦ ἱεροῦ τῆς Ἀθηνᾶς προελθοῦσαν ἰδόντες.* Loci igitur determinatio perturbata est et haud scio an id factum sit ea re, quam Polyb IV, 58 tradit, et in qua arx magni est momenti. De situ tempi cfr. Pausan. VII, 27.

† Num judicium Plutarchi verisimilitudinibus tantum enixum accipiamus dubitare possumus. Arato tam inficeto, quam Plutarchus aestimat, mendacio, quod quisque aequalis refellere posset, usum esse, ut se purgaret, vix credi potest. Accedit, quod Aratum ipsum illi incursioni interfuisse a Plutarcho non confirmatur, neque recte colligitur, Erginum copiis caruisse ad impetum faciendum. Ex rebus enim ab illo praeclare apud Corinthum gestis, quin majoribus copiis mercennariis ab Arato praefectus sit, dubitari vix potest.

Quam ad rem duo fontes adhibiti sunt; id quod inde apparet, quod Plutarchus enarrationem Arati alteri, cujus auctorem non nominat, opponit cfr. XXXII, 10 Ἄρατος οὐδὲν τοιούτου ἐν τοῖς ὑπομνήμασι εἴρηκε.

Quae vero e commentariis repetita sunt, inde incipiunt: τρεψάμενος τοὺς Αἰτωλούς.. Haec autem verba cum illis, quae c. XXXI, 15 inveniuntur: ἀλλ' εὐθὺς ὥρμησε μετὰ των παρόντων ἐπὶ τοὺς πολεμίους ἐν τῷ κρατεῖν ἀσθενεστάτους δι ἀταξίαν καὶ ὕβριν ὄντας, arctissime cohaerent, ut dubitare non possimus, quin Arati enarrationem, quae ibi quoque facile cognoscitur, excipiant. Jam vero Arati excusatio, quod proelium committere cunctatus sit, ad commentarios revocetur necesse est cfr. Ag. XV. Praeterea Plutarchus haec habet: πολλὰ μὲν ὀνείδη πολλὰ δ' εἰς μαλακίαν καὶ σκώματα καὶ χλευασμὸν ὑπομείνας οὐ προήκατο τὸν τοῦ συμφέροντος λογισμὸν διὰ τὸ φαινόμενον αἰσχρόν. Quibus in verbis ira Arati in adversarios, qui injuria, irrisione, cavillatione contra eum agebant, cernitur et fugere nos non potest, eventu arrepto, eo magis eam oppositionem condemnari. — Parte autem interjecta impetus in Pellenen ab Aetolis factus et direptio urbis ac fuga eorum post primum impetum Achaeorum continetur. Magnam autem victoriam eos reportasse, id quod apud Aratum legimus, hic non invenimus. Clades Aetolorum, si huic narrationi fidem habemus e perturbatione exercitus et terrore velut lymphatico, qui militibus injectus est, cum mulierem bellicosam in solario templi Artemidis conspexissent, orta est. — Enarrationem hanc res admirabiles aucupantem a Phylarcho repetitam esse suspicari possumus; a quo etiam id quod Arati merita negleguntur, non abhorret. At altera narratio inde ab Αὐτοὶ δὲ Πελληνεῖς usque ad παρελέσθαι τὸν λογισμὸν c. XXXII haud scio an a Plutarcho ipso, quippe qui, ut ejusmodi res admirabiles perscrutatur, operam dat, (cfr. Pericl. VI) explorata et tradita sit. Tertiam narrationem apud Polyaenum VIII, 59 invenimus. Sed ea non nisi retractatio est

---

eum fuisse, putat, eumque, condicionibus ab Arato Atheniensibus latis, quae foederi iniquae essent, odstitisse praedicat. Quae sententiae iis, quae de Lydiade tradita sunt (Plut. Arat. 30, 35 37 Cleom. 6 Polyb. II 44, 5; 51, 3; IV 77, 10) nihil confirmantur.

eorum, quae a Phylarcho dicta sunt, quod comparatione utriusque relationis comprobatur: *πανοπλίαν ἔχουσα καὶ τρίλοφον κράνος ἡ καλλίστη καὶ μεγίστη τῶν παρθένων ἀπὸ τῆς ἀκροπολεως ἀπέβλεπεν.* Sed filiae Epigethis loco Athena dea exsistit neque in solario templi Artemidis sed aute templum Athenae conspicitur.* Pugnae vero enarratio similior expulsioni Aetolorum ex Aegira, quae apud Polybium IV, 58 exstat, quam Plutarchi enarrationi posterioribus temporibus orta esse videtur neque ullum locum habet in rerum gestarum descriptione. Sed quod Timanthes pugnam apud Pellenen commissam pinxisse dicitur, alienum videtur esse ab antecedente relatione et ad fontem a Plutarcho in c. XIII adhibitum, ad Polemonem periegetam, revocandum esse, verisimile est.

Atque c. XXXIII et XXXIV pax cum Aetolis facta et varia tentamina Arati Athenas liberandi ab imperio Macedonico describuntur. Ea re, quod pax cum Aetolis Pantaleone auctore facta esse dicitur, Aratum nostra tradidisse verisimile est, neque errabimus, si notiones ejusmodi de necessitatibus Arati e commentariis repetita esse putamus. Atque primi impetus enarrationem eidem fonti adscribendam esse Plutarchus ipse profitetur. Sequitur Plutarchi ipsius judicium a versu XV ad versum XIX;† deinde, quo modo Aratus in expeditionibus contra Athenas susceptis rem gesserit, narratur. Haec vero cavillatio, quae inest in verbis: *ὥσπερ οἱ δυσέρωτες ἐπιχειρήσας τῷ Πειραιεῖ ὁ Ἄρατος..,* ad Phylarchum spectat. —

* Apud Polynaeum legimus: *ἀπέβλεψε ἀπὸ τῆς ἀκροπόλεως* et paulo post: *Αἰτωλοὶ πάρθενον ὡπλισμένην ἐκ τοῦ ἱεροῦ τῆς Ἀθηνᾶς προελθοῦσαν ἰδόντες.* Loci igitur determinatio perturbata est et haud scio an id factum sit ea re, quam Polyb IV, 58 tradit, et in qua arx magni est momenti. De situ tempi cfr. Pausan. VII, 27.

† Num judicium Plutarchi verisimilitudinibus tantum enixum accipiamus dubitare possumus. Arato tam inficeto, quam Plutarchus aestimat, mendacio, quod quisque aequalis refellere posset, usum esse, ut se purgaret, vix credi potest. Accedit, quod Aratum ipsum illi incursioni interfuisse a Plutarcho non confirmatur, neque recte colligitur, Erginum copiis caruisse ad impetum faciendum. Ex rebus enim ab illo praeclare apud Corinthum gestis, quin majoribus copiis mercennariis ab Arato praefectus sit, dubitari vix potest.

Caput XXXIV expeditiones Arati in Atticam a morte Antigoni Gonnatae ad mortem Demetrii factae explicantur.* Quibus in enarrandis cum scriptor Arati studio ductus videatur esse et accuratissime res singulas describat, quin e commentariis hauserit, dubitare non possumus. (Cfr. Klatt l. l. p. 31. U. Koehler: „Ein Verschollener". Hermes VII S. 1 sqq.). —

Inde autem, quod res per decem annos gestae in hoc unum caput coguntur, Plutarchum illum fontem, qui insignis esset maxima ubertate, valde amputasse intelligitur. Singularum expeditionum causae et conjunctio earum a Plutarcho profectae sunt. Ac primae cladis Arati causam *καὶ ὅλως κατεφρόνει τῶν Μακεδόνων διὸ καὶ κρατηθέντος αὐτοῦ*.. Arato non adscribendam esse facile intelligitur. Neque minus illud, quod alteram expeditionem fecerit propter laetitiam Atheniensium de clade, quam acceperat, et causa receptus „*εἶτα πεισθείς*" aliena sunt a commentariis. Judicandum esse, puto, Plutarchum res singulas in fonte alio quodam modo conjunctas invenisse et, cum ipse componeret et amputaret, suas causas iis subjecisse.† Atque Plutarchum ipsum composuisse res

---

* Liberationem Athenarum adhuc Lydiade praetore 230—29 factam esse creditum est. (Cfr. Freeman p. 422 Droysen III, 2 p. 52 Klatt p. 82) At Plutarchus c. XXXIV, 20 *ἑτέρου ἄρχοντος* et XXXV, 24 Aristomacho praetore 228—27 Athenis adfuisse Aratum, testatur. Si priorem sententiam sequimur, in difficultates incidimus. Demetrius vere anni 229 non Lydiade sed Arato praetore 229—28 mortem obiit, qua re effectum est, ut Athenae deficerent. Defectio igitur Athenarum cum e commutatione imperii oreretur, post mortem Demetrii anno, quo Aratus praetor non erat, facta demum esse potest.

† Koehleri l. l. eorumque, qui auctoritatem ejus secuti sunt (cfr. Droysen III, 2 p. 56. Klatt. p. 9 et 36. Wachsmuth: Die Stadt Athen im Alterthum p. 631) opiniones, Aratum in narratione liberationis Athenarum non solum meritum Diogenis malevolum tacuisse, sed plane rem invertisse, ut ipsius facta illustraret, nulla re confirmantur. Inversio enim neque apud Plutarchum et Pausaniam II, 8 neque in commentariis demonstrari potest. Superbiae Diogenis laudationem neque Plutarchus neque Pausanias habebant quod perscriberent. Inde autem, quod auxilium Arati in titulis a Koehlero allatis, quae in honorem Diogenis posterorumque ejus factae sunt, non commemorantur, nihil sequitur.

etiam his verbis: *Αἰτωλῶν γὰρ συμμαχούντων ἐπίδοσιν μεγάλην ἡ τῶν Ἀχαιῶν ἐλάμβανε δύναμις** intelligitur. Societati enim Aetolorum tum, praesertim cum eorum studium Cleomenis, quod Mantineae, Tegeae, Orchomeni possessionem ei cessissent, Aratum operam dedisse non crediderim (Cfr. Polyb II, 46). —

A capite XXXV Arati enarratio belli Cleomenici incipit, quae saepius cohaeret cum vita Cleomenis a c. IV ad c. XXX eamque supplet. Quas partes ut una tractare possim, pauca de vita Agidis et Cleomenis a. c. I ad IV praemittam.

DE AGIDIS VITA ET CLEOMENIS INDE A C. I AD C. IV.

In vitis Agidis et Cleomenis describendis Plutarchum imprimis Phylarchum secutum esse Heeren, Schoemann, Lucht, viri docti, confirmaverunt. Nominatim Phylarchus his locis a Plutarcho citatur Ag. IX, 2, Cleom. V, 3, Cleom. XXVIII. XXX. Arat. XXXVIII.

Fragmenta autem Phylarchea cum his locis conferenda sunt: Cfr. Müller Fr. Hist Graec. I p. LXXVII.

Cleom. VIII = frg. 44 = Athen VI, 102 p. 271 E.
Cleom. XIII = frg. 43 = Athen IV, 20 p. 141 F.
Cleom. XXIII—XXV = frg. 53 = Polyb II, 61.
Cleom. XXVI = frg. 58 = Dionys Areop. II p. 156.
Arat. XLIV = frg. 52 = Polyb II, 59.
Arat. XLV = frg. 51 = Polyb II, 56,6.

Dicendi genere Phylarchi ductus Schoemann praeterea cc. XIX—XXI Agidis et cc. XXX—XXXVIIII Cleomenis ad eundem revocavit. — Sed ut de Phylarcho recte judicemus, praeter fragmenta hi loci imprimis conferendi sunt. Polyb II, 56 sq. Plut. Arat 38† Themistocl. 32. De gloria Atheniens. 1.

---

* Freeman l. l. p. 422 pro *Αἰτωλῶν* legi vult: *Ἀθηναίων*. Sed cum foedus non ictum sit inter Aratum et Athenienses (cfr. Arat 41), ea commutatio rejicienda est.

† Klatt l. l. p 8 judiciium Plutarchi quod est in c. XXXVIII vitae Arati: *ἐνθουσιᾷ γάρ, ὅταν ἅψηται τοῦ Κλεομένους ὑπ' εὐνοίας καὶ καθάπερ ἐν δίκῃ τῇ ἱστορίᾳ τῷ μὲν ἀντιδικῶν διατελεῖ, τῷ*

Res Spartanas summa diligentia et Agidis Cleomenisque studio incensus Phylarchus tractavit, sed consilium ejus in rerum gestarum enarratione non tam in eo positum videtur, ut verum exploret ac memoriae prodat, quam ut librum ad delectationem tantum spectantem conscribat, qui et salsus dictis et facetus fabulis insertis et gravis tragico more dicendi legentes vel audientes teneat ac secum abripiat. Quam obrem Agidem et Cleomenem tamquam perfectos et omnibus numeris absolutos descripsit, ut quales re vera fuerint, difficile cognoscere possimus.

Quibus vero locis Plutarchus Phylarchi narratione usus sit, et ex partibus, quas ille secutus est, et e studio ubique nova et admirabilia dicendi ac metu et misericordia permovendi animos cognoscitur.

Sed huc non pertinet c. I—III quae Plutarchus vita jam scripta sive adumbrata addidisse se ipse profitetur. (Cfr. III, 3 *Εὐρυδαμίδα δὲ Ἄγις, περὶ οὗ τάδε γέγραπται;* cfr. Schubert, „Quellen Plutarchs in Eumenes, Demetrius, Pyrrhus“ Fl. Jahrb. f. Phil. IX Suplb. p. 688).

Inde autem, quod in c. II cum Gracchorum vitis vitae nostrae conferuntur, totam materiem eum nosse intelligitur, qua re id quoque quod supra dixi confirmatur. Capite tertio, velut apud Ephorum (Lycurg. 30), potentiam Spartanorum diminutam esse ea re, quod bello Peloponnesiaco aurum et argentum in civitatem introducta sint, confirmatur, id quod Plutarchum de suo addidisse verisimile est (cfr. Cleom. XII, 2). Quae sequuntur a genealogis Spartanis repetita sunt cfr. Herod. VII, 204 VIII, 131 IX, 64. Pausan. III, 10, 5 I, 13, 4 III, 6, 6. —

δὲ συναγορεύων. suspensum esse a Pol. II, 56—63 dicit, ut ita, cum Polybii relationem odio dictatam esse credat, etiam Plutarchi testimonium rejiciat. Concedamus, ut verba Plutarchi antecedentia ᾧ, *μὴ τοῦ Πολυβίου μαρτυροῦντος, οὐ πάνυ τι πιστεύειν ἄξιον ἦν* Polybii auctoritatem sequantur, sed opprobria, quae supra dixi, cum apud Polybium nullum eorum inveniatur, e Polybio deprompta esse, non crediderim. Non video, cur illud a Plutarcho ipso abjudicetur. — Denique hos locos Themistocl, 32. De gloria Athen. 1 ab illo loco Polybii suspensos esse, id quod A. Bauer: „Themistocles“ Merseburg 1881 p. 142 Anm. 1 laudavit, mihi non probatur.

In capitis III versu 26 Plutarchus jam ad Phylarchum transire videtur ab illis verbis: Ἄρεως δὲ πεσόντος.. Quas partes scriptor secutus sit, et e judicio, quod de Leonida profertur, et ex insigni laude, qua Agis extollitur, cognoscere possumus. Et illud quoque Phylarchum significat, quod Agesistrata, avia Agidis laudatur, quam jam in Pyrrh. c. XXVII Phylarchus summa laude decoraverat. Accedit, quod turpis luxuria, quam Leonidas ab aulis satrapum invexerat, laudabili temperantiae et severitati ac simplicitati, in qua Agis rex, quamquam maximis divitiis abundabat, versabatur, de industria opponitur. Simili modo Phylarchus vitam Arei et Acrotati imitationem „ἐξουσίας αὐλικῆς“, quae vocatur, describit (frgmt. 43), quo magis Cleomenis morum simplicitatem extollat (Cfr. Ag. 7, 2. 10, 2 Cleom. 16, 3) ac iterum et saepius luxuriae, quae in aulis aliorum principum inveniebatur, rationem habet (cfr. frg. 2, 3, 7, 10, 19, 22, 40 a, 41, 45, 62.) —

Capite V Plutarchus causas, ob quas Agis res commutaverat, enumerat. Ac primum potentiam Spartanorum diminutam esse, quod aurum et argentum introducta essent, et potius, quod lege ab Epitadeo lata illa Lycurgi lex successionis, qua prohiberetur, ne agri in paucorum possessiones venirent, sublata esset, refert. Sed si Aristotelem (Politic c. II c. 6 (9) § 10) sequimur, lex illa Lycurgi qua successionis ordo ita, ut Plutarchus dicit, constituebatur, omnino lata esse non potest. Cum igitur condiciones, e quibus lex Epitadei oriri poterat, nunquam fuerint, cum praeterea, quae Plutarchus illa lege Epitadei effecta esse arbitratur, semper fuerint, (Cfr. Peter: Rh. Museum 1867 p. 64. Grote l. l. p. 338) omnino eam legem latam esse, dubitandum est. —

C. VI—XIV partes eorum, qui rerum evertendarum cupidi erant, sequuntur. Et in eximia laude commutatorum rerum publicarum, in condemnatione adversariorum Phylarchi descriptio cernitur (Cfr. Arat. 38) Amare de iis, qui huic rerum commutationi se opponebant dicitur: „Velut servi in fuga comprehensi, qui ad Lycurgum reducerentur, trepidabant et pavebant“. Iam ea confirmatio, rerum publicarum illam commutationem non nisi restitutionem esse eorum, quae a Lycurgo constituta essent, ad eos, qui circa Agidem et Cleomenem erant revocetur necesse est. (Cfr.

Peter l. l. Grote l. l.) Sub finem autem capitis VI et in capite IX e laude, quae matri et aviae Agidis propter virtutes tribuitur, Phylarchi narratio cognoscitur. (Cfr. Pyrrh. 27 Agis IV). Neque minus in c. VII, 4, ubi iterum luxuria satrapum simplicitati Agidis opponitur, Plutarchus Phylarchi auctoritatem secutus est. C. VIII summa commutationum: agri distributio, qua in re Spartiatae 4500 Perioeci 15000 sortes accipiebant, tabulae novae, Mothacium in Spartiatas receptio, divisio eorum in phiditia, quae vocantur, continetur. Quam divisionem Phylarchus valde comprobat et in frg. 43 accuratius tractat. De Mothacibus autem in frg. 44 agit, quod cum nostro loco consentit. C. IX, quo iterum Agesistrata et Archidamia laudantur et Agidis rerum publicarum commutatio nonnisi restitutio institutorum Lycurgi significatur, ad Phylarchum revocandum est. (Cfr. 4, 1. 5, 2. 9, 3. 10, 2.) Hoc autem caput repetitum esse e libro XV historiarum Phylarchi consensu cum fragm. 33 = Parthen. Erotica 15 comprobatur. In XI, 2 et 4 insectationes Leonidae et in XIII, 1 vehemens condemnatio Agesilai Phylarchum auctorem indicant. Denique Phylarchum res tradidisse capitis XII, ubi narratur, vi, qua uti Agis coactus est, neminem interfectum esse, sed Agidem, cum percussores Agesilai Leonidae vim inferre conarentur, eum tutatum esse et conservasse, verisimile est. —

Droysen III p. 429 rerum gestarum narrationem apud Plutarchum non integram esse ratus ante caput XIV incursionem Aetolorum ab Antigono Gonnata excitatam et adjutam, qua Sparta magnum detrimentum cepisse dicitur, inseruit. Sed loci, quibus enixus Droysen ita judicavit (Polyb II, 45 IV, 34 IX, 34 Plut. Cleom. 18) non eandem sed duas incursiones Aetolorum tractant. Polyb II, 45,1 IX, 34,6 II, 43,9 loci separandi sunt ab his IV, 34,9 IX, 34,8 Cleom. 18, ad quos hi loci Cleom. X Arat. IV adhibendi sunt. Id esse necesse e IX, 34,6 sqq. intelligitur. Iis enim locis, quos modo laudavi, incursio Aetolorum Timaeo duce et Charixeno tractatur, quae a Lusone Arcadiae ad Argos, Mantineam, Spartam, Taenarum promontorium pertinebat. Droysenii vero sententia Antigonum Gonnatam ei interfuisse Polyb. IV, 34,9 repugnat. Nam in eo loco oratione, a Spartano aetate provectiore

in Pantaleontem Aetolum habita, beneficia Macedonum Aetolorum flagitiis opponuntur, id quod fieri non poterat, si Macedones ipsi flagitiorum illorum participes fuissent. — Droysenii sententia, eam expeditionem anno 242 quo Agesilaus ephorus erat, factam esse, iis, quae tradita sunt, non adjuvatur. Immo vero e IX, 34 concludere possumus, hic eandem incursionem significatam esse, quae Sicyoni imminebat, id quod in c. IV Arati narratur. Hunc locum si sequimur, incursio, prius quam Sicyon ab Arato expugnaretur, id est ante regnum Agidis facta est. —

Reliquis autem locis Polyb II, 45,1 II, 43,9 IX, 34,6, Spartae periculum imminuisse, omnino non dicitur. Sed expeditio, quae ibi significatur, eadem est, quae in c. XIV Agidis et in c. XXXI Arati accuratius narratur. —

Sed e c. XIV Agidis, cujus partes Phylarchus secutus sit, evidentissime apparet. Nusquam enim Agidis studio incensus virtutem ejus tantis laudibus, quantis hic, effert. Ac summa laus, quae ei propter simplicitatem tribuitur: *εὐτελείᾳ καὶ φιλοπονίᾳ καὶ τῷ μηδὲν ἰδιώτου λαμπρότερον ἠμφιέσθαι* . . . laudatorem earundem virtutum in c. IV significat et arctissime cohaeret cum IV, 2 *καὶ πᾶσαν ἐκδὺς καὶ διαφυγὼν πολυτέλειαν ἐγκαλλωπίζεσθαι τῷ τριβωνίῳ*.... Tota narratione autem illa Polybii vituperatio, Phylarchum res non ut factae sint, sed ut fieri potuerint, describere, confirmatur. — Phylarchi enarrationem Plutarchus usque ad illud e Batone repetitum (cfr. Müller frg. IV p. 347) „*αὐτὸν οὐκ ἐθέλειν μάχεσθαί φησι τὸν Ἆγιν*“ sequitur. Sed Plutarchus Batonis sententiam rejicit et ipsius judicium verbis e Arato depromptis omprobat. Sunt autem haec: *Ἄρατος γέγραφε περὶ τούτων ἀπολογιζόμενος, ὅτι βέλτιον ἡγεῖτο τοὺς καρποὺς σχεδὸν ἅπαντας συγκεκομισμένων τῶν γεωργῶν παρελθεῖν τοὺς πολεμίους ἢ μάχῃ διακινδυνεῦσαι περὶ τῶν ὅλων*. Sed cum haec verba Batonis sententiam non tangant, rectam eam esse putandum est, id quod controversia illa Agidis atque Arati et reditu Spartanorum etiam confirmatur. Nam cum Spartani ante pugnam commissam domum redirent, eos pugnam recusasse, apparet. Plutarchus autem totam rem Phylarchi narratione inductus, — quin eo pro-

cessit, ut Aratum Agidem laudantem fecerit (*ἐπαινέσας διαφῆκε* Ag. XV), — non recte percepit.

Postrema vero capita Agidis fere omnia ad Phylarchum revocanda sunt. C. XIX—XXI jam Schoemann Heerenii et Luchtii auctoritatem secutus ad eundem revocavit, cui quoque in c. XVI. Hippomedontis commemoratio (cfr. VI, 4) adscribenda est. Neque minus id, quod dicitur de amore Chilonidis, quae jam c. IX, 5 commemorata est, et erga uxorem et erga parentem, quo valde animi nostri commoveantur, ad Phylarchum revocari opus est. Is enim, ut erat summo studio mulierum incensus (cfr. frg. 18, 23, 30, 33, 35, 42, 45, 48, 60, 81, 82), in grandibus amoribus narrandis sibi videtur placuisse (cfr. frg. 23, 48, 60, Cleom. 23 sq. Rohde: Der Griech. Roman S. 51). —

Sed ultima pars capitis XXI inde a versu VII *βασιλεὺς γὰρ ὥς ἔοικε*, qua id, quod antea dictum est, explanatur, Phylarcho non adscribenda est. Qua parte excepta, initium vitae Cleomenis postremo enunciato vitae Agidis adjungitur, unde in ejusdem fontis usu Plutarchum perseveratum esse suspicari possumus. Quae sententia singulis argumentis adjuvatur. Nam cum accuratius, qua necessitate Agiatis cum Cleomene conjuncta fuerit, exponatur, cum moribus ejus summa laus attribuatur, cum narretur, quomodo Cleomenem amore sui inflammaverit et studium Agidis in eo excitaverit, ipso dicendi genere ea Phylarcho adscribenda sunt. Jam vero idem partium studium, eadem morum descriptio, quae in vita invenitur, de qua supra dixi, nobis occurrit. Cfr. Cleom. I, 3 *ὁ Κλεομένης πρὸς ἐγκράτειαν καὶ ἀφέλειαν οὐχ ἧττον τοῦ Ἄγιδος εὖ πεφυκώς, τὸ δὲ εὐλαβὲς ἄγαν καὶ πρᾶον οὐκ εἶχεν.* Cfr. Ag. XX, 3. Leonidae vero morum descriptio accuratissime consentit cum ea, quae in vita Agidis invenitur. Cfr. Cleom. II, 1, Ag. VII, 5 X, 2 XI, 2. — Sed a Phylarcho non repetita sunt, quae in Cleom. II, 2 dicuntur: *λέγεται δὲ καὶ λόγων φιλοσόφων μετασχεῖν ὁ Κλεομένης* .... Nam Plutarchum, si Phylarchum, qui inter eos, qui cum Cleomene erant, versabatur, secutus esset, illis verbis *λέγεται δὲ καὶ* enuntiatum prolaturum fuisse, non est putandum.*

* De Sphaero, qui hoc loco commemoratur, conferas: Zeller: „Philo-

Sed haud scio an id ex eo fonte repetitum sit, qui de eruditione Arati dicebat aliaque e scholis philosophorum communicabat. Cfr. Cleom. 30. Arat. c. 3. 29. 23. Dictum illud Leonidae, quod praeterea duobus locis profertur, Plutarchus velut totam paragraphum tertiam ipse videtur addidisse. His autem locis § 2 et 3 omissis III, 1 facile iis, quae antecedunt, adjungitur. Jam vero cum ea, quae de moribus labentibus dicuntur iis temporibus, quum Cleomenes regnum suscepit, cum iis, quae in primis capitibus vitae Agidis narrantur, consentiant, haec quoque pars ad Phylarchum revocari potest cfr. III, 1 Ag. V, 4 et VII, 3. Neque commemoratio „ἀγωγῆς“ quae vocatur, quae Phylarcho maximi momenti videtur fuisse ad imperium Spartae conservandum (cfr. Ag. IV) ab eo abhorret. Sed a versu nono Plutarchus ad alterum fontem transit. Narratur autem necessitudo Cleomenis cum Xenare, quae cum non in regnum sed in pueritiam Cleomenis cadat (cfr. Schoemann: Griechische Alterthümer I p. 270) hic locum non habet. Quod vero Xenares narrationibus suis Cleomeni studium commutationum Agidis injecisse dicitur, nonnisi variatio est eorum, quae in c. I, 2 tradita sunt. Ibi enim studium Cleomenis consiliorum Agidis ad auctoritatem Agiatidis revocatur. —

Sed a versu vicesimo tertio *οἰόμενος δ᾽ἂν ἐν πολέμῳ* . . Plutarchus ad Phylarchi narrationem redit et breve exordium belli Cleomenici praebet. Qua in narratione Plutarchus Spartanorum et in controversiis partium describendis Cleomenis studio ducitur. Culpam enim belli excitati in Aratum solum confertur. Sed res ipsae et Polybii atque Arati testimonia contrariam sententiam desiderant.

---

sophie der Griechen“ III, 1 p. 35 sq. Sed non est, quod Sphaerum, Ptolemaeo auctore Spartam venisse, ut Cleomenem regi conciliaret, credamus. Cui sententiae repugnat id quod Polyb II, 51, 2 refert. et quod Sphaerum ante regnum Cleomenis Spartae adfuisse, hoc loco nostro comprobatur. —

DE CLEOMEN. CAP. IV AD XXX ARATI CAP. XXX AD XLVI.

Enarratio belli Cleomenici a c. IV* Cleomenis initium capit. Ex colore Arato inimicissimo Cleomeni amicissimo Phylarchi auctoritas cognoscitur. Summae contemptionis Arati plena est relatio IV, 4 *ἀλλ' ἀπῆλθε (ὁ Ἄρατος) λοιδορούμενος ὑπὸ τῶν Ἀχαιῶν χλευαζόμενος δὲ καὶ καταφρονούμενος ὑπὸ των Λακεδαιμονίων.* Descriptio contentionum Spartae exardescentium ad partem Cleomenis revocanda est. — Quod Plutarchus nomen Doricum „*Δαμόκριτος*“ adhibet, Phylarcho qui eodem modo c. XXVIII nomen „*Δαμοτέλης*“ conservavit, attribuendum est. —

In vita Arati Plutarchus res, e quibus bellum oritur omnino omittit. Ac primum quidem Aristomachum in foedus receptum (c. 35), deinde illius praeturam, quam anno postea suscepit, describit (c. 36) Argumentum utriusque capitis ex commentariis depromptum est. Cap. XXXV narrationes accuratissimae, quae de condicionibus Aristomachi agunt continentur, quas tam diligenter exponere nemo poterat, nisi Aratus ipse. Odiosa verba in Lydiadem versa perspicue demonstrant Aratum ipsum rem narravisse. Originem exitumque relationis accuratiora illa indicia de Arato ipso allata plane ostendunt. Cfr. *ὁ δ' (ὁ Ἄρατος) ἔγραφε μὲν αὐτῷ τὴν στρατείαν ἀπαγορεύων.* —

Klatt l. l. p. 42, cum commentarios, Aratum, ne proelium committeret, recusasse, omnino non prodere potuisse, putet, secundam capitis XXXV partem et totum XXXVI caput non commentariis sed Phylarchi scriptis attribuenda esse, dicit. Sed etiam aliis locis, qui sine ulla dubitatione ad commentarios revocandi sunt, Aratum pugnam recusasse, narratur; (cfr. Agis XV Arat. XXXI) Aratum autem a bello alienum fuisse, manifestum est, id quod a Polybio II, 6,4 et a Plutarcho (Arat. XXX et XXXV) semel atque iterum dicitur. Neque dubitare possumus, quin ad tardam Arati

* Per errorem a Freemannio l. l. p. 440 et a Klattio l. l. p. 45 ordinem rerum gestarum, quem Plutarchus in hoc capite observavit, commutatum et Arati conatum Orchomeni et Tegeae occupandarum ante occupationem munitionemque Athenaei positum esse, manifestum est.

rationem belli gerendi rei publicae Spartanae contentiones magnam vim habuerint. (Cfr. Cleom. V, 2. IV, 3. VI, 1.) Bello ducto Aratus sperare poterat factionum odium auctum, adversarios Cleomenis corroboratum iri. Bellum autem celeriter et aperte gestum Achaeis periculosum fieri necesse erat, sive quod clade afficiebantur, sive quod factiones Spartae victoria conjungebantur contra foedus Achaicum. Quod igitur semel atque iterum Aratum, ne pugnaret, recusasse, ostenditur, non miramur neque habemus, quod ex commentariis excutiamus. — Si Klatt caput XXXV, quod cum capite IV Cleomenis consentiat, ad Phylarchum revocandum esse dicit, errat. Nam diversissimos illos locos ex duobus adversariis fontibus haustos esse oportet, Cleom. IV ex Phylarcho Arat. XXXV e commentariis ut supra demonstravimus. Neque minus, quam cap. XXXV, ad Phylarchum revocari non potest cap. XXXVI, quod e commentariis demanasse, et ex colore enarrationis et ex singulis nuntiis, qui ex castris Arati afferuntur, intelligitur. Quod relatio nostra valde congruit cum Cleom. V, 1, etiam hanc partem ad commentarios revocandam esse elucet. Ac si ex Cleomenis cap. V illum locum, qui cum Arati cap. XXXVI consentit, sejunximus, reliquus est nuntius Spartanorum. Phylarchus in fine capitis nominatim citatur. Sed praeter Phylarchum a versu vicesimo *εἴτε πεισθέντος* alter etiam fons adhibitus est. Qua parte de Archidamo, fratre Agidis regis, revocato et necato agitur, cujus facinoris Cleomenem participem non fuisse, Phylarchus judicat. Alter autem fons Archidamum Cleomene sciente et consentiente interfectum esse dicit. Atque Plutarchus in comparatione cum Gracchis V, 1 Cleomenem accusat. Sed ad illud dijudicandum plana summaque, fide digna narratio Polybii V, 37 et VIII, 1,5 adhibenda est qua Cleomenem de Archidamo revocando egisse consilio illius interficiendi intelligitur,* id quod etiam rebus ipsis firmatur. Cleomenem

* Valeton l. l. p. 157 dubitavit, num recte narret Polybius 5, 37 *καθ᾽ ὃν δὲ καιρὸν Ἀρχίδαμος ἐκ τῆς Σπάρτης ἔφυγε δείσας τὸν Κλεομένην*, dubitavit non alia causa commotus, nisi quod Plutarchus de Archidamo Cleomenis temporibus Spartae versante nihil tradiderit. Conclusiones ex silentio Plutarchi minime aptae sunt, quae credantur, praesertim cum certis nuntiis Polybii adversariae sint. —

enim reditum Archidamo magis timuisse, quam cupiisse concludamus necesse est, quum, ne omnia consilia sua, quibus dominationem se adepturum esse speraret, delerentur, ei metuendum erat. Qua de causa mors Archidami maxime consiliis illius necessaria erat, neque Cleomenes is erat, qui de facinore, quod utilitati ei esse poterat, deterreretur. —

Droysen (III, 2 p. 84) quidem, Cleomenem pro bona re mortem Archidami obiisse, demonstrare conatur; dicit autem haec: „Jenen Mord auch dies schwerste Opfer brachte er, auch den Schein verrätherischer Verträge nahm er über sich . . .“ Sed non erat Cleomenes, qui mala aequo animo ferret. Summo ingenii acumine, constantia omnia negligente, summa imperii cupiditate ad res gerendas ducebatur. Neque illam clementiam levitatemque, quibus Agis idoneus, qui mala aequo animo ferret, factus est, in Cleomene reperire possumus (cfr. Cleom. I, 3). Num per inauditam patientiam odium facinoris, quod non commisisset, eum suscepisse, resque perfecisse, quae ei odio et contemptioni deberent esse, putabimus?

Caput sextum usque ad versum 8, ut maxima relationis antecedentis pars ad Phylarchum revocandum est. Ad eum honesta commemoratio Cratesicleae, matris Cleomenis, atque aestimatio summae pietatis indulgentiaeque illius, quae eam, ut quamquam amore non erat commota — Spartiato opibus atque auctoritate insigni nuberet, adduxisse dicitur, ad eum narratio, qua ephoros per Cleomenem corruptos esse traditur, referenda sunt. Pars, quae sequitur, descriptio pugnae apud Leuctra (Ladokeia Polyb II, 51, 3) commissae, cum planiore descriptione Arati XXXVII consentit, qua ex re, utramque relationem ex eodem fonte fluxisse, cognoscitur. Conferas autem:*

---

* Cleom VI *ἐπεὶ δὲ χαράδραν τινὰ βαθεῖαν οὐκ εἴασε διαβῆναι τοὺς Ἀχαιοὺς ὁ Ἄρατος ἀλλ' ἐπέστησε τὴν δίωξιν ἀγανακτῶν ὁ Λυδιάδας . . . συνεξώρμησε τοὺς περὶ αὐτὸν ἱππεῖς καὶ διώκων εἰς χωρίον ἀμπέλων καὶ τάφρων καὶ τειχῶν μεστὸν . . . διασπασθείς . . . κακῶς ἀπήλλατε ὁ Λυδιάδας ἀμυνόμενος εὐρώστως ἔπεσε . . . . . καὶ τροπὴν ὅλον τοῦ στρατεύματος ἐποίησαν.*

Arat. XXXVII ἐν μέσῳ λαβὼν χαράδραν ἐπέστησε καὶ κατεκώλυσε διαβῆναι τοὺς ὁπλίτας ὁδὲ Λυδιάδης ἀνεκαλεῖτο τοὺς ἱππεῖς.... ὑπὸ θυμοῦ δὲ καὶ φιλοτιμίας ἀταμιεύτως ἐπισπασθεὶς εἰς χωρία σκολιὰ καὶ μεστὰ δένδρων πεφυτευμένων καὶ τάφρων πλατειῶν.... ἐπέπεσε λαμπρῶς ἀγωνισάμενος...... οἱ δ' ἄλλοι φεύγοντες ὅλον τὸ στράτευμα τῆς ἥττης ἐνέπλησαν.

In Arati capite XXXVI jam complures causae praemissae erant, quibus Aratus, ut recusaret, ne proelium committeret, commovebatur. Ex commentariis causam sufficientem, ex qua, Aratum Lacedaemoniis disparem copiis fuisse, cognoscitur, haustam esse, putamus. Ex his verbis οὔτε ἄλλως πρὸς τὰς κατὰ στόμα μάχας εὖ πεφυκὼς ὁ Ἄρατος eandem opinionem de mirabili natura Arati, quam cum pluribus locis tum in capite XXIX, videmus. Ultimo loco data causa ex adversariis Arati initium cepit, quae Aratum invidia atque obtrectatione maxime commotum caute gloriam suam servasse et Cleomeni omnem gloriae atque auctoritatis conciliandarum facultatem eripuisse, indicat, quae opinio non minus aequa est Cleomeni, quam iniqua Arato, quam ob rem eam a Phylarcho, qui etiam aliis locis easdem causas Arato adscribit (Cleom XVI, 1) demanasse conjiciamus licet. Descriptio autem pugnae ipsius Arat XXXVII = Cleom VI ad commentarios non revocanda est propterea, quod Lydiades summa laude effertur Aratus vituperatur. Klatt l. l. illam enarrationem ad Phylarchum revocat. Equidem Phylarchum Lydiadem, qui Cleomeni inimicissimus erat, tantopere laudavisse, credere non possum. Huc accedit, quod Plutarchi indicia ex castris Achaeorum profectae sunt, quum nullae res accuratius observentur, nisi Achaeorum. Phylarchi autem nuntii ex castris Cleomenis proficiscuntur. Quam obrem partem nostram ad fontem illum jam in capite XXX ad Lydiadis res describendas adhibitum revocari majorem fidem videtur habere. — Atque capitis XXXVIII initium usque ad versum nonum ἐδόκει δὲ ἡ μὲν.. ad commentarios revocandum est, id quod partim e singulis indiciis de pugna apud Orchomenum commissa, qua Aratus Megistonum vicit, partim, quod consentit cum Cleom XVI, 1 εἰωθὼς παρ' ἐνιαυτὸν στρατηγεῖν

ἀπείπατο τὴν ἀρχὴν καὶ παρῃτήσατο καλούντων καὶ δεομένων ὁ Ἄρατος, concludamus licet. Neque negligendum est illud, quod in Cleomenis vita illa clades Lacedaemoniorum nullo verbo tangitur. Eodem modo posteriore loco calamitas Cleomenis quam Polybius II, 55, 5 describit, omissa est. In Cleomenis autem vitae capite IV Plutarchus de alio Cleomenis detrimento, de Mantinea ab Arato capta alterum fontem sequens narraverat (cfr. Arat. XXXVI). Brevitate rei ibi commemoratae commoti, qua non continetur nisi illa occupatio paucis admodum verbis perscripta, judicare debemus non futurum fuisse, ut Plutarchus ab uberrimo fonte, Phylarcho, abhorreret, nisi illa res eum defecisset. Quod Phylarchus saepius panegyrista Cleomenis cognoscitur, suspicari debemus, eum clades non eadem religione, qua eventus bonos tradidisse. — Res postremo collatae erant ultimae, quas Aratus praetor gessit, quem quis secutus sit, in Cleomenis vitae capite XIV nominatur. Erat autem Hyperbatas, cujus res inde a capite VII usque ad caput XV enarrantur.* Atque primis capitibus de mutatione rerum Spartanarum refertur. Quae expositio partes Cleomenis sequitur, omnes res ab eo gestas probat imprimis illas tuetur, quae iodeoneae sunt, quibus laus moderationis atque ingenuitatis excitetur (cfr. VIII, 2). Provocatio autem, quae interponitur ad Lycurgi institutiones, velut exemplum institutionum Cleomenis (cap. X) ad eundem fontem revocanda est, qui Agidis commutationem rerum non esse nisi restitutas leges Lycurgi volebat, (Ag. V, 1 IX, 2 X, 3). Laude vero eximia Cleomenis, quae e capite XII elucet, acerrimo odio Achaeorum, quod ibidem reperimus, fanatico quasi studio veterum morum disciplinaeque, quod extrema

* Hoc loco mihi Droysenii errorem III p. 88 corrigere liceat, qui ad Cleomenis cap. VII spectaus loquitur: „Die Entfernung des Königs aber und die Gefangenschaft des Megistonus muss in der Oligarchie bedenkliche Entschlüsse gezeitigt haben, zu deren Ausführung die Ephoren ihre Amtsgewalt zu gebrauchen bestimmt gewesen sein werden. Nur so ist die Gewaltthat, zu der Cleomenes schritt, erklärlich“. Cleomenes autem consilium ephoros removendi ceperat jam ante exitum suum et ante Magistonum captum, id quod perspicue scriptum videmus Cleom 7, 3. Ergo Droysenii conjectura rebus traditis sine ulla causa repugnat. —

parte capitis ostenditur, Phylarchi descriptio intelligitur. — Atque nuptias Cratesicleae et Megistoni, quibus illa cum hoc viro se conjunxerat, ex opinione Phylarchi in capite VI tractatas vidimus. Quem ad fontem ea quoque, quae de familiaritate Cleomenis et Megistoni, illo matrimonio effecta, dicuntur, referenda sunt. Duos locos e Phylarchi relatione demanasse, ex fragmentis cognoscitur. Conferas caput VIII = frgmt. 44 = Athen VI, 102 p. 271 E.
„ XIII = frgmt. 43 = Athen IV, 20 p. 141 F.*
(Cfr. Schoemann l. l. p. XII)

Partem autem jam tractatam spectantes nonnullas affinitates vitae Lycurgi invenimus. Atque Cleom. X valde Lycurgi capita V et VIII adaequat.† —

Lyc. VIII *Δεινῆς γὰρ οὔσης ἀνωμαλίας καὶ πολλῶν ἀκτημόνων καὶ ἀπόρων ἐπιφορουμένων τῇ πόλει, τοῦ δὲ πλούτου παντάπασιν εἰς ὀλίγους συνερρυηκότος ὕβριν καὶ φθόνον καὶ κακουργίαν καὶ τρυφὴν καὶ τὰ τούτων ἔτι πρεσβύ τερα καὶ μείζω νοσήματα πολιτείας πλοῦτον καὶ πενίαν ἐξελαύνων.*

Lyc. V *ὡς δ' ὁ καιρὸς ἧκε τριάκοντα τοὺς πρώτους ἐκέλευσε*

* adnotatio ad frg. 43.
Brückneri conjecturam a Meinekio et Müllero acceptam, qui ad Athen. IV, 20 p. 141 F pro *πεντεκαιδεκάτῃ καὶ εἰκοστῇ* legi vult *πέμπτῃ καὶ εἰκοστῇ* non acceperim. In libro XV Phylarchus commutationes Agidis (frgm. 33) tractaverat, in quibus etiam *συσσίτια*, quae vocantur, magni momenti erant (Agis VIII). In commutationibus Cleomenis narrandis eandem rem Phylarchum tractasse, Plutarchus (Cleom XIII) confirmat. Itaque Athenaeum duos locos Phylarchi in unum contraxisse neque ea, quae tradita sunt, commutari opus esse, crediderim.

† Agis V. *Καὶ ταχὺ τῆς εὐπορίας εἰς ὀλίγους συρρυείσης πενία τὴν πόλιν κατέσχε τῶν καλῶν καὶ ἀνελευθερίαν ἐπιφέρουσα μετὰ φθόνου καὶ δυσμενείας πρὸς τοὺς ἔχοντας . . .*

Cleom. X, 5 *εἰ μὲν οὖν δυνατὸν ἦν ἄνευ σφαγῆς ἀπαλλάξαι τὰς ἐπεισάκτους κῆρας τῆς Λακεδαίμονος τρυφὰς καὶ πολυτελείας καὶ χρέα καὶ δανεισμοὺς καὶ τὰ πρεσβύτερα τούτων κακὰ πενίαν καὶ πλοῦτον.*

Νῦν δὲ τῆς ἀνάγκης ἔχειν συγγνώμονα τὸν Λυκοῦργον, ὃς οὔτε βασιλεὺς ὢν οὔτε ἄρχων, ἰδιώτης προῆλθεν εἰς ἀγορὰν

μετὰ τῶν ὅπλων εἴωθεν εἰς ἀγορὰν προελθεῖν ἐκπλήξεως εἵνεκα καὶ φόβου πρὸς τοὺς ἀντιπράττοντας ὧν εἴκοσι τοὺς ἐπιφανεστάτους Ἕρμιππος ἀνέγραψεν .... ἀρχομένης δὲ τῆς ταραχῆς ὁ βασιλεὺς Χαρίλαος φοβηθείς ὡς ἐπ' αὐτὸν ὅλης τῆς πράξεως συνισταμένης κατέφυγε πρὸς τὴν Χαλκίοικον. εἶτα πεισθεὶς καὶ λαβὼν ὅρκους, ἀνέστη καὶ μετεῖχε τῶν πραττομένων φύσει πρᾷος ὤν.

Quod Flügel l. l. p. 25 concludit, Plutarchum, si in „Cleomene" Phylarcho usus esset, etiam in „Lycurgo" eundem fontem secutum esse, mihi non probandum videtur esse propterea, quod sententiae concertantes apud Phylarchum in oratione, a Cleomene, ut se defenderet habita, inveniuntur, quae ut copiosam descriptionem reditus Lycurgi ejusque praeparationis ad rem publicam commutandum contineret, fieri non potuit. Mihi quidem descriptio capitis quinti Lycurgi usque ad verba *καὶ λέγεται συμβασιλεύοντα* ad unum fontem revocanda videtur esse. Quo loco Hermippus a Plutarcho vocatur, intelligitur, eundem uberrime de illis rebus, quas Plutarchus memoriae prodidit, egisse. (Cfr. *ὧν εἴκοσι τοὺς ἐπιφανεστάτους Ἕρμιππος ἀνέγραψεν*). Atque Plutarchum et in Lycurgi vita et in aliis usum esse Hermippo constat, qui nominatur in Lycurg. c. V et XXIII in Solon. c. VI. XI. II in Alexand. c. LIII in Demosth c. XI. XXX. LVIII. Praeterea conferas Demosth. V = Müller frg. 61 (III p. 50) et Solon V = frg. 17 (III p. 40) Quae cum ita sint, illam partem Lycurgi vitae ad Hermippum referri, facillimum maximeque verisimile est. Quod se contingunt Cleom. X et Lycurg. V, Phylarchi relationem cum Hermippi quandam cognationem habere, judicandum est, nisi Plutarchum ad vitam Lycurgi jam antea scriptam (Cleom. XII) rediisse orationemque Cleomenis ad arbitrium suum supplevisse, sentiremus.

Partes tandem Ag. V et Cleom. X et inter se cohaerent et Lycurg. caput VIII contingunt. Cognatio autem vel eodem modo

---

ὥστε δείσαντα τὸν βασιλέα Χάριλλον ἐπὶ βωμὸν καταφυγεῖν. ἀλλ' ἐκεῖνον μὲν ὄντα χρηστὸν καὶ φιλόπατριν ταχὺ τῷ Λυκούργῳ τῶν πραττομένων μετασχεῖν καὶ τὴν μεταβολὴν δέξασθαι τῆς πολιτείας.

vel eo, quod Plutarchum non revocasse, nisi illius loci vitae Lycurgi recordationes dicimus, exponi potest. Atque illa ratio popularis, quae ibi velut hic cognoscitur, postremo ad eos revocanda est, qui Cleomenem circumdabant, et imprimis per Sphaerum libris, qui inscribuntur: „*περὶ Λυκούργου καὶ Σωκράτους*" et „*περὶ Λακωνικῆς πολιτείας*", quibus Plutarchus vel ipsis vel traditis ad vitam Lycurgi scribendam usus est, et per Phylarchum in historia Agidis et Cleomenis prodita est. —

Cleomenis vero capite XIV res in bello gestae porro tractantur. Mantinea defecit ab Achaeis, transit ad Cleomenem. Quarum rerum expositionem e parte Cleomenis exortam esse facile cognoscimus ex his Plutarchi verbis: *ὁ δὲ Κλεομένης τοὺς νόμους αὐτοῖς ἀποδοὺς αὐθήμερον ἀπῆλθεν* quibus dicitur, eos qui Lacedaemoniis studebant, summae rerum praeesse tum coepisse. Haec verba: *ἐστρατήγει μὲν γὰρ Ὑπερβατᾶς τότε* Plutarchus e commentariis rei corrigendae causa videtur addidisse. Atque in Arati vita res postremo dictae ommissae sunt. Praeturae Arati, Hyperbatae imperio praetermisso, Plutarchus ejusdem magistratus administrationem Timoxeni annectit, quem Arato omnino deditum fuisse ex Polyb IV, 7, 10 et IV, 82 intelligimus. Qua re summa auctoritas, quam Aratum per illum annum habuisse, memoriae proditum est, declarari potest. — Initium Arati capitis XXXVIII jam antea ad commentarios revocatum est. Alteram partem a Phylarcho originem cepisse, odiosis verbis contra Aratum Macedonesque dictis intelligitur. Duobus locis Aratus et Polybius auctores citantur. Ceterum illa parte multo planior est vitae Cleomenis caput XV. Atque XV, 1 incipitur praetura Timoxeni. Quod narratur, Aratum, ut illum magistratum susciperet, rogatum esse (*καλούντων καὶ δεομένων*) ad commentarios reducimus, qui soli ex fontibus, qui ad vitam Arati describendam aderant, accuratiores relationes de internis foederis rebus videntur comprehendisse. Eidem attribuenda sunt, quae sint acta de pace. Plutarchus dicit: *Κλεομένης πρῶτον μὲν μέτρια* ἐδόκει πρέσβεσιν ἐπιτάττειν*

* Blass: Plutarchs Agis u. Cleomenes. Leipzig 1875 hoc loco ponit *πρῶτον οὐ μέτρια*, qua mutatione res intelligi non potest. Blassius postulata alterius legationis, quae his primis condicionibus consulto oppo-

ἑτέρους δὲ πέμπων ἐκέλευεν αὐτῷ παραδιδόναι τὴν ἡγεμονίαν ὡς τἆλλα μὴ διοισόμενος. Quae relatio non favet Cleomeni. Nam subito eum postulationes tam injuste auxisse, ut summam imperii posceret, cum Achaei primas condiciones accipere vellent, consulto praedicatur.* Atque verba *ὡςτἆλλα μὴ διοισόμενος* cavillatio illarum condicionum intelligenda sunt. — Phylarchum autem aliter de his rebus tradidisse, ex Arat. XXXVIII cognoscimus *καίτοι ᾔτει ὁ Κλεομένης τὴν ἀρχὴν ὡς πολλὰ ποιήσων ἀγαθὰ τὰς πόλεις ἀντὶ τῆς τιμῆς ἐκείνης.* —

Verbis *ἔτυχε τὸν Κλεομένη συντόνως ὁδεύσαντα*.. XV, 11 Plutarchus ad priorem fontem, ad Phylarchum redit, quem usque ad initium capitis XVII sequitur. Atque XV, 3 narratur, subito morbo Cleomenis conventum Lernae, ubi de pace agere volebant, prohibitum esse, qua re tota Graecia sine ulla spe salutis superbiae (*ὕβρει καὶ πλεονεξίᾳ*) Macedonum tradita esset. Neminem nisi Cleomenem posse Graeciae salutem ferre Phylarchus sentiebat. Accuratior autem illa descriptio causae rationisque morbi Cleomenis ad eundem Phylarchum auctorem reducit. — Sed rerum condicionem spectantes dubitare possumus, num recte dicatur, illum morbum Cleomenis solam causam fuisse, qua, quominus ageretur de pace, prohiberetur. Nihil enim fecit Cleomenes ut retardationem excitaret, neque misit, qui suo loco actiones inchoarent. Neque Cleomenis multum, pacem brevi tempore fieri, interfuisse videtur, id quod etiam ex eo apparet, quod postulationes paulatim auxit. Cleomenes enim actiones differe volebat commotus contentionibus intra foedus ortis, quibus totam Peloponnesum sibi sine ulla condicione traditum iri sperabat (Cleom. XVII, 3 XIX, 1 Arat. XXXIX).

Caput XVI in Phylarcho positum esse ex odiosis verbis in Aratum Macedonesque dictis et laude eximia Cleomenis apparet.

---

nuntur, imprimis postulationem summae imperii, summae omnium rerum administrationis, moderata habere ex commutatione sua cogitur. — Quid altera ejus commutatio *ἑτέρους δὲ πεμπόντων ἐκέλευεν αὐτῷ παραδιδόναι τὴν ἡγεμονίαν* loco horum verborum *ἑτέρους δὲ πέμπων*... velit reperire non potui. Mihi illud supervacuum itaque repudiandum videtur esse.

* Droysen l. l. p. 105 huic loco (XV, 2) inserit reditum captivorum non recte, qui redierunt conventu apud Lernam prohibito.

Cfr. XVI., 1 ὁ γὰρ Ἄρατος εἴτε ἀπιστίᾳ καὶ φόβῳ τοῦ Κλεομένους εἴτε φθονῶν, εὐτυχοῦντι παρ' ἐλπίδα καὶ νομίζων, ἔτη τρία καὶ τριάκοντα πρωτεύοντος αὐτοῦ δεινὸν εἶναι τὴν δόξαν ἅμα καὶ τὴν δύναμιν ἐπιφύντα νέον ἄνδρα καθελεῖν καὶ παραλαβεῖν πραγμάτων εὐξημένων ὑπ' αὐτοῦ.* Cfr. Arat. XXXVI.

Sed Cleomenis capita, quae sequuntur inde a XVII usque ad XXI simillima sunt Arati capitibus XXXIX usque ad XLV. Atque Cleomenis caput XVII et Arati caput XXXIX ad commentarios revocanda esse, et ex verbis illis e commentariis allatis: c. XVII οὐκ εἰς Ἄργος ἀλλ' εἰς Αἴγιον, ὥςφησιν Ἄρατος . . . et e colore enarrationis et e singulis, quae de internis foederis rebus referuntur, colligamus licet. Initio autem capitis XVII Phylarcho usus est, quo loco Plutarchus ipse dicit, omnes summam spem cepisse, pacem futuram esse, Aratum autem, cum ei gravissimae res† cum Antigono convenissent, timentem, ne Cleomenes in conventu constituto usu atque consuetudine multitudinem sibi conciliaret, iniqua a Cleomene postulantem prohibuisse, quominus porro ageretur. Itaque Arato soli tribuendum esse, pacem, quam omnes desiderarent, non factam esse, Phylarchus putat. Revocari partem nostram ad hunc etiam propterea verisimile est, quod Cleomenem „ὁμιλίᾳ" id est usu, consuetudineque populi consiliis suis Achaeos conciliare voluisse, narratur. Imprimis laudat eandem „ὁμιλίαν" Phylarchus loco illo Cleom. XIII, 4 τὸ δὲ ὁμιλίᾳ καὶ χάριν ἔχοντι καὶ πίστιν οἰκειοῦσθαι καὶ προς ἄγεσθαι ἐφαίνετο κάλλιστον αὐτῷ καὶ βασιλικώτατον. Cfr. frgmt. 43. Atque ea quae Aratus a Cleomene postulavit, quae ejusmodi erant, ut non porro ageretur

* Magni momenti temporum rationi historiae Arati est, quod Plutarchus dicit in Cleom XVI, 1 ἔτη τρία καὶ τριάκοντα πρωτεύοντος. αὐτοῦ (τοῦ Ἀράτου). Blassius annotatione sua, quae ad eum locum spectat, Plutarcho neglegentiam injuste objicit. Si Plutarchus πρωτεύοντος dicit, non ab anno ducentesimo quinquagesimo primo numerare potest, sed ab anno ducentesimo quadragesimo quinto, Arati imperii anno primo, numerare debet. Triginta tribus annis postea anno ducentesimo tertio decimo Aratus mortuus est. — Ergo recte definit Plutarchus.

† Aratum cum Antigono gravissimas res, quibus non spectari potest nisi ad Corinthi occupationem, multo tempore post has actiones constituisse, plane demonstrant Arat XLI Polyb II, 51, 3 et 52, 3.

— si Phylarchum sequimur — haec sunt: *μόνον εἰς ἰέναι πρὸς αὐτοὺς ἢ κατὰ γυμνάσιον τὸ Κυλλαράβιον προςελθόντα μετὰ τῆς δυνάμεως διαλέγεσθαι*, quibus verbis irridentibus omnes disceptationes repudiantur et bellum poscitur.

Secernenda sunt e Phylarchi relatione jam altera causa postulationum Arati *ἢ καὶ βιασάμενος* quae optime descriptioni commentariorum accommodari potest, (cfr. Arat. XXXIX *Ἄρατος ὡς ᾔσθετο .. περὶ Λέρναν ὄντα μετὰ τῆς δυνάμεως*) et verba *λαβόντα τριακοσίους ὁμήρους*, quae falsam Plutarchi recordationem esse verborum *ἥκειν μετὰ τριακοσίων, εἰ δ' ἀπιστεῖ λαβεῖν ὁμήρους* Arat. XXXIX verisimile est. Atque verbis *ταῦτ' ἀκούσας ὁ Κλεομένης*, quae sunt in versu nono Plutarchus omnino ad commentarios videtur transisse.

Arati capite XXXIX de iisdem rebus Plutarchus perspicue non sequens nisi commentarios refert. — Enarratio, quae exstat in vita Arati, occupatione Argorum in Cleomenis cap. XVII descripta suppleri potest, ubi dicet Plutarchus *ἐπεὶ δὲ φοβηθέντες οἱ Ἀχαιοὶ προδοσίαν τινὰ πραττομένην ἐν Κορίνθῳ καὶ Σικυῶνι....** Atque in descriptione Achaeos vituperari, quod Argis, ubi propter multitudinem hominum confluentem Cleomene jam appropinquante eo major providentia atque vigilantia necessaria erat,

* Non — ut Unger: „Sitzungsberichte der Bai. Acad. 1879 p. 371 sqq. accipere possumus, ferias Nemeorum hoc loco commemoratas ante diem IV non. Aug. anni ducentesimi vicesimi tertii ponendas esse, si res ab illo die usque ad hiemem venientem gestas consideravimus cfr. Polyb II, 52—54. Cleom 17—21 Arat 39—45. E Sicyonis trium mensium obsidione sola, omnes alias res ab illo die gestas non respicicientes, conjiciamus oportet Antigonum initio Novembris advenisse, cui judicio res ipsae a Plutarcho et Polybio traditae repugnant. Neque aliis rebus Ungerii ordo temporum a rebus traditis non abhorret. Duo anni sine causa praetermittuntur, id quod resistet Polybiano illo loco II, 57, 2, ubi Mantineam per Aratum quarto anno ante Antigoni adventum occupatam esse, narratur cfr. Arat XXXVI. — Unger autem illam expugnationem in secundo anno ante Antigoni adventum ponere cogitur. Neque habemus, quod opinemur Polybium, ratione Olympiadum usum, annos et primum et ultimum in ratione duxisse (cfr. G. Strehl: Chronologische Daten bei Polybius 1879.) Si autem illa sententia recta esset, in Polybio tamen est, quod resistat conjecturae Ungerii: etsi unum tamen non duo annos removere possumus.

omnia praesidia emiserant, ananifestum est. Qua ex vituperatione, qua imprimis praetor afficiebatur, judicare possumus, Aratum; quod illius ex commentariis enarratio hausta est, tum illum magistratum non administravisse. Hac igitur res etiam sub Timoxeni imperio, cujus descriptio inde a Cleomenis cap. XV, 1 = Arat. cap. XXXVIII initium capit, gestas esse conjiciendum est. Sequentibus autem rebus Aratum praetorem interfuisse Polybius II, 52, 3 testatur.*

Arati caput XL cum descriptione antecedente, quae commentarios sequitur cohaerens eadem plana ratione, quae de rebus foederis internis acta sunt, porro tractat. Jam ex re ipsa fontem cognoscentes singula spectantes nulla dubitatione afficimur. Color enim enarrationis ad relationem reducit, quae ex iis est, qui partis Arati erant, id quod nominibus intelligitur, quibus vocantur, qui Cleomeni favebant. cfr. *πάλαι ἤδη ὑπούλως ἔχοντες πρός τὸ κοινόν* et *τὸ πλῆθος ἤδη νοσοῦν*. — Ex diligentia, qua dolus narratur, quo Aratus Corinthios effugit, narrationem Arati ipsius cognoscere possumus. Eodem uno fonte utitur Plutarchus usque ad initium capitis XLIII. Ad commentarios revocandae sunt illae notiones de Arato ipso allatae. cap. XLI *καὶ περιεστήσατο φρουρὰν ἐκ τῶν ἑαυτοῦ πολιτῶν* cap. XLII *ἐξίππευσεν ἐπὶ τὴν θάλατταν ἔχων δέκα φίλους καὶ τὸν υἱὸν ἤδη νεανίαν ὄντα.* Ex eodem fonte sunt hausta indicia de internis foederis rebus, quae, quod tam accurate planeque descripta sunt semperque ad Aratum pertinent, e commentariis capta esse, concludere possumus. Cfr. Arat. XLI *τῷ δ' Ἀράτῳ συνῆλθον εἰς Σικυῶνα οὐ πολλοὶ καὶ γενομένης ἐκκλησίας ᾑρέθη στρατηγὸς αὐτοκράτωρ* cap. XLII *οἱ μὲν Ἀχαιοὶ συνεληλυθότες εἰς Αἴγιον ἐκεῖ τὸν Ἄρατον ἐκάλουν.*

---

* Klatt l. l. p. 75. sub Timoxeno praetore, quo minus Lernam convenirent, prohibitum esse dicit, tum jam sub imperio Arati Argos eos convenisse. Quod judicium sequentes putare debemus, plures, quam verisimile est, res anno magistratus Arati gestas esse, Timoxeni nullas ne actiones quidem esse factas. Quem rerum ordinem, cum quae tradita sunt non tueantur, credere non possumus. Praeterea idem auctor p. 96 dicens: „Die Achäer, Sicyon bedroht sehend, schicken von Argos Besatzungstruppen unter dem Strategen Aratos dorthin". — errat. Neque enim Aratum tum praetorem fuisse, neque Aratum cum praesidio eo missum esse, res traditae ostendunt.

Capite XVIII vitae Cleomenis sejuncto, quod e Phylarchi relatione demanasse, ex enarrationis colore facile intelligitur, iterum illius vitae descriptionem cum partibus vitae Arati jam commemoratis mirum quantum consentire, cognoscimus. — Conferas autem*.

Cleom. XIX *ἀποκρίνασθαι δὲ αὐτὸν ὡς οὐκ ἔχει τὰ πραγματα μᾶλλον δὲ ὑπὸ τῶν πραγμάτων αὐτὸς ἔχεται .... τοῦ δ' Ἀράτου τοὺς φίλους καὶ τοὺς ἐπιτρόπους μεταπεμψάμενος ἐκέλευσε τὴν οἰκίαν καὶ τὰ χρήματα λαβόντας φυλάττειν καὶ διοικεῖν .....*

Arat. XLII ... *καλεῖν τὸν Ἀντίγονον ἐψηφίσαντο καὶ παραδιδόναι τὸν Ἀκροκορίνθον*†.

Ἔπεμψε δὲ καὶ τὸν υἱὸν Ἄρατος πρὸς αὐτον μετὰ τῶν ἄλλων ὁμήρων. ἐφ' οἷς οἱ Κορίνθιοι χαλεπῶς φέροντες τάτε χρήματα διήρπασαν αὐτοῦ καὶ τὴν οἰκίαν τῷ Κλεομένει δωρεὰν ἔδωκαν. Arat. XLI *εὐθὺς τὴν Σικυωνίαν ἐπόρθει καὶ κατέφθειρε καὶ προς ἐκάθητο τῇ πόλει τρεῖς μῆνας.* —

In Cleomenis cap. XIX, 1 verba commentariorum vocantur: *τῶν δὲ Κορινθίων ἁμιλλωμένων εἰς Ἄργος φησὶν ὁ Ἄρατος τοὺς ἵππους πάντας ῥαγῆναι* e quibus recte a nobis fontem definitum esse, videmus. — Ea quae in altera parte capitis XIX dicta sunt vitae Arati capita XLI et XLII adaequant. In utraque parte Cleomenem Aratum corrumpere conatum esse, nuntiatur, quos conatu e tenebris et silentio prolatos, cum non successissent, eo modo

* Arat. XLI *τοῦ δ' Ἀράτου φήσαντος ὡς οὐκ ἔχοι τὰ πράγματα μᾶλλον δὲ ὑπ' αὐτῶν ἔχοιτο .... ὄντων δὲ τῷ Ἀράτῳ καὶ χρημάτων ἐν Κορίνθῳ καὶ οἰκίας ὁ Κλεομένης ἥψατο μὲν οὐδενὸς οὐδὲ ἄλλον εἴασε, μεταπεμψάμενος δὲ τοὺς φίλους αὐτοῦ καὶ τοὺς διοικη τὰς ἐκέλευε πάντα ποιεῖν καὶ φυλάττειν ὡς Ἀράτῳ λόγον ὑφέξοντας...*

† Cleom. XIX *ἐπεὶ δὲ ὁ Ἄρατος ... τὸν υἱὸν ἔπεμψε πρὸς τὸν Ἀντίγονον μετὰ τῶν ἄλλων ὁμήρων καὶ ψηφίσασθαι τοὺς Ἀχαιοὺς ἔπεισεν Ἀντιγόνῳ παραδιδόναι τὸν Ἀκροκόρινθον οὕτως ὁ Κλεομένης τήν τε Σικυωνίαν ἐμβαλὼν ἐπόρθησε καὶ ταχρήματα τοῦ Ἀράτου τῶν Κορινθίων αὐτῷ ψηφισαμένων δωρεὰν ἔλαβε.*

Cleomeni nocuisse, quo Arati probitatem agendi ad lucem prodidisse, credamus oportet. Ne dubitari possit, unde, quae referuntur, hausta sint, Plutarchus ipse verba Arati e commentariis allata addit Cleom. XIX, 2: *ἀποκρίνασθαι δὲ αὐτὸν ὡς οὐκ ἔχει τὰ πράγματα μᾶλλον δὲ ὑπὸ τῶν πραγμάτων ἔχεται. ταῦτα μὲν ὁ Ἄρατος γέγραφε.* —

Varietates enarrationum utriusque vitae in ordine rerum positae sunt, qui in Cleomenis vita ad Plutarchum ipsum referendus videtur esse. Quod ibi scriptum videmus, Cleomenem Aratum corrumpere conatum esse, ut sibi Acrocorinthus traderetur, priusquam Corinthum ingressus et priusquam obsidio arcis incepta esset, per se incredibile est. Neque Cleomenes, se quid ab Arato, ab inimico vehementissimo adepturum esse, sperare potuit. Illi corrumpendi conatur sunt extremae res, quas Cleomenes facere non potuit nisi cum, se alio modo, quid vellet, adepturum esse non sperabat. Ergo primum descriptio obsidionis deinde illi conatus ponendi sunt. Eodem modo, legationem Megistoni ponendam esse ante res, quibus Cleomenes Corinthum ingrediens Aratum sibi conciliare studebat credere non possumus. Neque, ante Tripylum* Megistonum legatum missum esse, credibile est. Arato enim non minus, quam Cleomeni propinquus erat Megistonus (Cleom. VI. XXI.) cui ultimam et gravissimam legationem commissam esse conjiciamus oportet. Cum haec legatio non successisset vix alter idoneus, qui — ut ille — legationem obiret, tam gravia mandata accipere potuit. — Quod pertinet ad Cleomenis postulationes, illae relationes se complent. Si Cleom. cap XIX, 2 sequimur, primum postulabatur, ut Acrocorinthus traderetur. Altera legatione, ut summa imperii jusque Acrocorinthi una cum Achaeis praesidio occupandae daretur, poscebatur, id quod ex Cleom. XIX, 3 et Arat. XLI colligitur. Arce autem Corinthi occupata, ut erant res illis temporibus, Peloponnesus sine ulla condicione Cleomeni tradita imperiumque ei certum erat. Etsi igitur inter illa, quae primum postulabantur, imperium non nominabatur, tamen comprehendi hoc illis oportebat. —

* Loco nominis Tritymalli (cfr. Schoemann Cleom cap. XIX, 2) pono ex Arati cap. XLI Tripylum. Error enim Plutarchi, quum hoc loco perturbatione non abstineat, verisimillimum est.

Res quibus Arati et Cleomenis vitae se contingunt porro tractantur Arat. cap XLIII. initio et Cleom. cap XX. In utraque parte Plutarchus a rebus descriptis ad res Antigoni transit. Conferas autem.*

Cleom XX. τοῦ δ' Ἀντιγόνου μετὰ πολλῆς δυνάμεως τὴν Γεράνειαν ὑπερβάλλοντος.....

Ex scientia rerum in castris Macedonum gestarum et ex cognitione consiliorum Antigoni, quae ne confecta quidem sunt, fontem cognoscimus, qui ex intimis Antigoni relationes accepit. Atque Aratus jam illis temporibus in castris Antigoni erat et ab eo ad omnia consilia adhibebatur cfr. Arat. XLIII. οὐ μόνον Ἀχαιῶν ἀλλὰ καὶ Μακεδόνων τῶν σὺν αὐτῷ πάντα χρώμενος ἐκείνῳ (τῷ Ἀράτῳ) διετέλει). Quod in descriptione defectionis Argorum, quae cum rebus antecedentibus arctissime connexa est, Aratus ipse in primo loco collocatur ejusque rerum vel minimarum diligentissime mentio fit, commentarios fontem cognoscere possumus.† Cfr. ἤδη δὲ πρὸς ἑσπέραν ἧκον ἐξ Ἄργους φίλοι καλοῦντες αὐτὸν (τὸν Ἄρατον) Cleom XX.

Aratum fontem esse etiam ex eo cognoscitur, quod auctor ludibrio habet parvos eventus, quos Cleomenes contra Antigonum adeptus est. Cfr. XX, 2 ἐπιχειρήσας δὲ παραδύεσθαι ὁ Ἀντίγονος διὰ τοῦ Λεχαίου νυκτὸς ἐξέπεσε καί τινας ἀπέβαλε τῶν στρατιωτῶν, ὥστε παντάπασι θαρρῆσαι τὸν Κλεομένη καὶ τοὺς περὶ αὐτὸν ἐπηρμένους τῇ νίκῃ τραπέσθαι πρὸς τὸ δεῖπνον.

In capite XXI, quod cum iis rebus, quae praecedunt, arctissime conjunctum est, Plutarchus multis verbis copiosissimeque de rebus, quas Cleomenis gessit in castris Corinthi et Argorum, agit, id quod indicium Phylarchi videtur esse. Sed miremur necesse est, quod Phylarchus, qui aliis locis incommoda Cleomenis nunquam ne cladem quidem apud Sellasiam acceptam absolute concedit, hoc

---

* Arat. XLIII. τοῦ δ' Ἀντιγόνου προσιόντος ἤδη μετὰ τῆς δυνάμεως — ἡγεδὴ πεζοὺς δισμυρίους Μακεδόνας ἱππεῖς δὲ χιλίους καὶ τριακοσίους.

† Arat. XLIV Ἐν τούτῳ Ἀριστοτέλης ὁ Ἀργεῖος φίλος ὢν Ἀράτου διαπέμπεται κρύφα πρὸς αὐτον.

loco tam accurate detrimenta ejus refert. Color enarrationis (Cfr. *φοβηθεὶς ὁ Κλεομένης μὴ οἱ πολέμιοι. — πορθῶσιν ἀδεῶς τὴν Λακωνικὴν καὶ πολιορκῶσιν τὴν Σπάρτην*) et imprimis, quod narratur Cleomenem Corinthios fefellisse mentientem, Argis nihil gravius accidisse, sed per paucos admodum parvam perturbationem factam esse, verisimilius ad relationem inimicorum Cleomenis referendum mihi videtur.

Arati caput XLIII usque ad versum quintum ubi haec *οὐ πάνυ τι θαρρῶν* et caput XLIV ut supra diximus easdem res eadem ratione eodemque colore tradunt ac Cleomenis capita XX et XXI ergo ad eundem fontem revocanda sunt. Sed vita Cleomenis non habet, quae sint similia capiti XLIII inde a versu quinto usque ad finem, quae pars etiam aliis rebus in commentarios quadrare non videtur. Narratur enim Aratum Macedonibus non confisum esse eorumque adventum sine timore non exspectasse. Cum Arato auctore Macedones advocati essent, eum ipsum in commentariis; quos scripserat, ut res a segestas imprimis foedus cum Macedonibus ictum defenderet, aperte concessisse, se Macedonibus non confidere, vix crediderim.

Haec verba: *ὁ δ᾽ Ἀντίγονος ὥς τις αὐτῷ προσιόντα τον Ἄρατον ἔφρασε* .. potius ad eum, qui illi conventui spectator intererat, revocanda sunt. Fortasse nostra ex eodem fonte demanasse, quem Plutarchus in capite XV rebus aulae Macedonicae describendis adhibuerat, conjiciamus licet. — Atque prima verba capitis XLIV continentia sunt illis verbis *ἀπήντα μετὰ τῶν δημιουργῶν ὁ Ἄρατος αὐτῷ κατὰ θάλασσαν εἰς Πηγὰς λαθὼν τοὺς πολεμίους* XLIII, 5, qua re item commovemur, ut partem intercedentem secernamus. — E commentariis haec etiam verba XLIV, 21 *Ἄρατος δὲ στρατηγός αἱρεθεὶς ὑπ᾽ Ἀργείων ἔπεισεν αὐτοὺς Ἀντιγόνῳ τάτε τῶν τυράννων καὶ τῶν προδοτῶν δωρεὰν δοῦναι* hausta esse videntur. Deinde Plutarchus ad Phylarchi relationem transit, id quod comparatio partis nostrae cum frgm. 52 = Polyb. II, 59 docet. In capite XLV* enarrationis color

---

* In capitis XLV versu XXXII Curtius in libro cui inscribitur: „Peloponnesos" I p. 268 pro *Ἀργειῶν* ponit *Ἀχαιῶν* sine dubio titulis

est inimicissimus Arato. Singula indicia consentiunt cum iis quae Polybius II, 56—61 ex Phylarcho de prompta refellit. Quae cum ita sint, nostra quin e Phylarchi relatione hausta sint dubitari non potest. Plutarchi autem enarrationem non solum in Phylarcho positam, sed etiam recordationum veterum propriarumque cogitationum plenam esse, et ex illis excusationibus Arati a versu X ad XV et XXV ad XXX atque ex illis Simonidae et Homeri verbis allatis apparet. —

In cap. XLVI Plutarchus ad fontem priorem ad commentarios redit. Narratur autem, Antigonum Aratum beneficiis exornasse, et cum eum magni aestimaret virum rerum civilium peritissimum, Philippum filium ad eum misisse, ut ab illo disciplinam populi Graeci disceret. Atque Plutarchus addit: Profecto, Aratus eum ita docuit, ut hic summa benevolentia ejus ipsius, honestoque studio disciplinae Graecorum in Macedoniam rediret. —. Inter versus legere posse videmur, Aratum rerum adversarum causam non adduxisse, quibus posterioribus temporibus Philippus Graeciam affecit. — Illas res extremas fuisse, quas Aratus in commentariis enarraverat, verisimillimum est, id quod etiam Polybii testimonia firmant I, 3, 1 et IV, 2, 1. —

Atque vitae Cleomenis capita XXII ad XXV et Phylarchi relatione demanasse*, ex eo intelligitur, quod res familiares Cleo-

---

nummorum posteriorum temporum quibus inscriptum est „Ἀντιγόνεια Ἀχαιῶν“ commotus. Neque illi tituli verbis, quae tradita sunt, obstant, qua ex causa non habeo, quod lectionem consentientem commutem. Ut Curtius legit Klatt l. l. p. 88 quin illum appellet.

* Plutarchus, foedera a Cleomene et Ptolemaeo icta, quae in cap. XXII commemorata sunt, in anno ducentesimo vicesimo tertio ponenda esse, sentit. Polybius II, 51,2 ponit ea ante proelium apud Lycaeum montem comissum 227/26. Plutarchi descriptio dubia est. Dicit autem haec: περὶ δὲ τοῦ Κλεομένους ἤκουσεν (ἡ Κρατησίκλεια) ὅτι τῶν Ἀχαιῶν προκαλουμένων αὐτὸν εἰς διαλύσεις φοβοῖτο δι' ἐκείνην ἄνευ Πτολεμαίου καταθέσθαι τὸν πόλεμον . . . . Actiones Achaeorum, quae hoc loco nominantur, non esse possunt, nisi eae, quae Timoxeno praetore habitae sunt 225/24 (Cleom. XV et XVII). Post adventum Antigoni de pace inter Achaeos et Cleomenem omnino non agi poterat. Atque si Cratesiclea jam sub imperio Timoxeni Alexandriae

menis denuo accuratius exponuntur, quod Agiatis summa laude afficitur (cfr. cap. 1), quod pietas indulgentiaque Cratesicleae narratur, quam Phylarchus eodem mode jam VI, 1 descripserat.

Denique ad Phylarchum auctorem laus Cleomenis (cap. XXIV) adque indicia vel minimarum rerum a Cleomene gestarum accuratissime tradita reducunt. Cfr. XXIII, 2: πέντε ἡμερῶν σιτία λαβὼν et δειπνοποιησάμενος περὶ τὸ Ροίτειον..

Quod etiam singula indicia cum fragmento apud Polybium II, 61,4 conservato (Müller frg. 52) consentiunt, recte nos judicasse, firmatur. —

In capite XXV a versu quinto φοβούμενος τὸν Ἀντίγονον καὶ τοὺς Ἀχαιοὺς.. color ratioque descriptionis mutatur. Singula de foederis conventu, qui habebatur Aegii, dicta e commentariis hausta esse videntur. Versu XVIII inde a verbis διὸ καὶ τὸ δεύτερον.. Plutarchus ad relationem Polybii transit, qui ibidem citatur. Si descriptionem cum Polybiana relatione II, 64,20 sqq. comparavimus, dicta inter se similia cognoscimus, videmus autem etiam hoc loco, Plutarchum fontem non verbotenus secutum esse, sed proprium genus scribendi servasse. —

Capite XXVI Cleomenem iterum Argolin aggressum esse traditur, quae irruptio ὀλίγῳ ὕστερον facta esse dicitur, quam illa capite XXV descripta. Et nimia laus hujus rei a Cleomene gestae et copiosa describendi ratio ad Phylarchum fontem reducunt, id quod etiam fragmento a Luchtio et Schoemanno jam adhibito demonstratur: Schol. S. Maximi ad Dionys Areopag. II p. 156 Müller frg. 58. — Neque duas expeditiones diripiendi causa in eandem regionem brevi tempore susceptas esse verisimile est. Ac prima ἀσφαλῶς καὶ νουνεχῶς facta esse potuit, id quod Polybius dicit, altera autem nisi μανικῶς dici non potuit. Terra prima direptione omnino devastata erat (Cleom. XXV, 4 Polyb II, 64,3 et b), Achaei et Antigonus praemoniti erant, ut caverent, Cleomenes, quae altera expeditione secutus esse dicitur, prima adeptus est. Quam ob rem altera Cleomeni majorem utilitatem non ferre,

---

erat, anno ducentesimo vicesimo tertio profecta esse non potest, ut Plutarchus dicit. Ergo descriptio Plutarchi sibi ipsa resistit, neque ad Polybium corrigendum adhibenda est, id quod facit. Valeton l. l. p. 160.

sed fieri potuit, ut conjunctorum adversariorum copiis permultis maxima detrimenta caperet. Huc accedit, quod res primae expeditionis consentiunt cum rebus alterius; et ibi et hic Cleomenes apertam terram circum Argos sitam depopulatus sub moenia proficiscitur, deridet Antigonum, incolumis redit. Quod Polybius, qui hoc loco jam diligentissime narrat, de hac altera expeditione nihil refert ,* conjiciendum est, praesertim cum indicia inter se simillima sint, Plutarchum duos fontes sequentem duas narrationes ejusdem rei tradidisse. —

In capit. XXVII, 1—14 descriptio contemplationibus Plutarchi intermittitur. Descriptio sequens iterum ad Phylarchum referenda est, qui etiam in cap. XXVIII et XXX citatur et in XXVII, 4, si hoc cum fragmento LIV = Polyb. II, 63, 2 comparavimus, fons cognoscitur. Nonnullae partes capitis XXVII et capitis XXX similes sunt descriptioni Polybianae, quam rem Klatt l. l. p. 25 declarare studet dicens, scriptores iisdem fontibus usos esse. Sed cum verbis ex Polybio allatis nomine ejus addito (XXVII, 4), Plutarchum Polybium comparasse, affirmetur, Plutarchum relationem Phylarchi enarrationibus Polybii complevisse mihi verisimilius videtur. Atque dubitandum est num fides auctoritatis „τῆς τύχης“ quae invenitur Polyb. II, 70 et Cleom. XXVII, 4 ἡ τύχη τὰ μέγιστα τῶν πραγμάτων εἴωθε κρίνειν = Plut. ἡ τὰ μέγιστα τῶν πραγμάτων κρίνουσα τύχη. — eodem modo a Polybio et Plutarcho ex descriptione Phylarchi accepta sit, id quod Klatti putat. Fides „τῆς τύχης“ et fati Polybii propria est. Cfr. I, 84,10 XII, 23,4 XV, 20,4 XXXIII, 25,13).

* Id quod Lucas l. l. p. 26 dicit, Polybium consulto gloriosam illam expeditionem alteram celasse, non probandum est. Approbatione, qua Polybius primam expeditionem narrat illud judicium refutatur cfr. Klatt l. l. p. 25. Dictum Archidami nostro loco adhibitum invenitur praeterea in Crassi capit. II et Demosthenis cap. XVII. Hoc loco Plutarchus Hegesippum illud loquentem facit. Michaelis: „De ordine vitarum parall. Plut.“ p. 29 concludit Plutarchum primo Archidamo deïnde Hegesippo tum iterum Archidamo illa dicta attribuere non potuisse, itaque Demosthenis vitam prius alias, posterius scriptas esse vel ex contrario. Sed haec causa non magni momenti est. Non origo sed usus illorum verborum Hegesippo attribuitur.

Quod nuntiatur Antigonum Lacedaemoniis leges atque institutiones reddidisse (Cleom. XXX, 1 Polyb II, 70, 1), Phylarchi descriptioni omnino non aptum est; in illis putatur, Spartam sub Cleomene leges institutionesque omnino non habuisse itaque tyrannidem fuisse, quam opinionem Phylarchum omnino non habuisse, Polybium autem semel atque iterum demonstrasse, notum est. Cfr. II, 47,3 IV, 16,5 IX, 22. Quibus ex causis, Plutarchum illas partes descriptionis Phylarchi indiciis Polybii complevisse, nos posse declarare putamus.

Cleomenis capita XXXI ad XXXIX non narrant nisi ea, quae a Cleomen in Aegypto gesta sunt. Descriptio simplex et ut Heeren, Lucht, Schoemann jam demonstraverunt in uno fonte, Phylarcho, posita est. Duas partes (Cleom. XXXIV, 13 usque ad finem et XXXIX, 13 usque ad finem) Plutarchus haud scio an sua sponte addiderit. Cap. XXXIV, 13 *ἀλλ' ὥσπερ τὸν Ἆπιν* cogitationem antea dictam porro tractat, quin novas res afferat. Plutarchum ea, quae affert ex Homeri Iliades lib. I, 491, memoria tenuisse, manifestum est, quae verba in Pyrrhi cap. XIII iterum dicta sunt. Capite XXXIX, qua ratione prodigium antea ex Phylarcho narratum* declarandum sit, ostenditur. Plutarchus enim se tales declarationes magni aestimasse in Periclis cap. VI dicit.

Ex rebus a Justino traditis duae partes comparandi causa afferendae sunt.

Justin. XXVIII, 4, 7† „Ingressusque in urbem (Cleomenes) non humi consedit, non cibum et potum poposcit non denique armorum onus deposuit, sed adclinis parieti, [quum quattuor milia sola ex pugna superfuisse conspexisset], hortatur ut se ad meliora

* Res, quae hoc loco de serpente, quae faciem Cleomenis cruci fixi texisse dicitur, ut eam ab avibus rapacibus defenderet, propria est Phylarchi cfr. Schubert l. l. p. 805 Müller: Fragmenta: frg. 25, 26, 27, 31, 34, 36, 49, 74.

† Plut. Cleom. XXIX, 2 *Κλεομένης οὔτε πιεῖν ἐκδεδιψηκὼς ὑπέμεινεν οὔτε καθῖσαι κεκμηκώς, ἀλλ' ὥσπερ ἐτύγχανε τεθωρακισμένος τῶν κιόνων τινὶ τὴν χεῖρα προςβαλὼν πλαγίαν καὶ τὸ πρόσωπον ἐπὶ τὸν πῆχυν ἐπιθεὶς καὶ χρόνον οὐ πολὺν οὕτω διαναπαύσας τὸ σῶμα .... ὥρμησε ... εἰς τὸ Γύθιον.*

reipublicae tempora reservarent. Tum [cum conjuge et liberis] Aegyptum ad Ptolemaeum proficiscitur, a quo honorifice exceptus diu in summa dignatione regis vixit; postremo post Ptolemaei mortem a filio ejus cum omni familia interficitur.* Antigonus autem...... fortunam tantae urbis miseratus a direptione milites prohibuit veniamque his qui superfuerunt, dedit.“

Res traditas similes inter se esse, comparatione demonstratum est. Propterea quod similia sunt genera scribendi et dicendi atque colores, — quod in neutra narratione indicia sunt quae alteri obstant, Pompejum Trogum Phylarcho usum esse, quod jam Heeren: „De Trogi Pompei fontibus“ Comm. Societ Gotting XV p. 185 dixit, judicamus. —

Cum Cleomenis capitibus XXXV—XXXVIII sunt comparanda Polybii capit. V, 35—39. Etiam hoc loco ex maximis similitudinibus summam affinitatem concludere possumus. Sed quum Plutarchus omnibus locis plures res afferat, quam Polybius et multo diligentius narret, usus autem alterius fontis non cognoscatur, utrumque auctorem eodem fonte usum esse, verisimile est, qua re multa, quae scripserunt congruunt.

Extrema pars Arati vitae ad Polybium revocanda est. Sed ubi Plutarcho ejus descriptio diligentior erat, non referre videtur nisi summam e memoria, velut capite XLVII, quod res reddit, quas Polybius IV, 3—IV, 19 tractat. In extremo capite Plutarchus se toto animo abhorrere ab infirmitáte Acheorum, qua commovebantur, ut Philippum iterum in res Peloponnesi deducerent, verbis expremit. Atque cum minus diligenter fonte suo uteretur, una re erravit. Nam inter regiones ab Aetolis devastatas appellat etiam Dymen, quod oppidum (cfr. Polyb IV, 6 sq.) illorum itinere a promunturio Rhionis Patras Pharas, Phigaliam facto non contactum est. Comparandi causa Polyb IV, 3,3. IV. 7,8 sq. rei

* Cleom. XXX *Ὁ δὲ Ἀντίγονος ἐξ ἐφόδου παραλαβὼν τὴν πόλιν καὶ χρησάμενος τοῖς Λακεδαιμονίοις φιλανθρώπως καὶ τὸ ἀξίωμα τῆς Σπάρτης οὐ προπηλακίσας οὐδ᾽ ἐνυβρίσας ... ἀνεχώρησεν.*

causa IV, 19,11 afferenda sunt. — Capite XLVIII ea adumbrata sunt, quae Polybius IV, 82,6 sqq. tractat. — Ex iis rebus, quas Plutarchus dicit de Arato Philippi suasore in versu XI sqq. affinitas cum Polybii relatione IV, 24 cognoscitur. De temperantia, qua Philippus erga Lacedaemonem et Cretam usus est, Polybius IV, 23 et 24 atque VII, 12 et 14 diligentius agit. Ea, quae a verbis *καὶ διὰ ταῦτα* XLVIII, 19 dicta sunt, congruunt cum Polybianis locis V, 15 et 28. Caput XLIX, quo modo Philippi natura moresque subito commutata sint, ostendit. Descriptio naturae apud Polybium VII, 13,7 eadem est. Ratio, qua commutatio apud Plutarchum declarata est, alia est apud Polybium, qui hanc vi suasorum malorum effectam esse dicit. Plutarchus, Philippum bonae naturae esse, omnino negat et illius priores mores simulatos esse judicat. — Quod Livius XXVII, 31, quo loco res in Peloponneso gestas illum, sequentem Polybium, prodidisse verisimile est, uxorem Arati minoris a Philippo abductam esse narrat, eandemque narrationem Plutarcheam ad eundem fontem, Polybium, referendam esse putamus. Accurate congruit descriptio Plutarchi inde a versu nono cum Polybii naratione VII, 13,6 sqq. — Decriptio seditionis Messenae factae apud Polybium amissa est, quod valde dolere debemus. Quod autem Polyb. VII, 11,1 valde congruit cum Plutarchi capite L, quod res tractat, quae cum illis Messeniorum rumoribus arcte connexae sunt, etiam partes antecedentes in Polybio positas esse, concludere possumus. Jam conferas locum illum Polybianum.

VII, 11, 1. *Φιλίππου φήσαντος πρὸς τοὺς προεστῶτας τῆς πόλεως θεάσασθαι τὴν ἀκρόπολιν καὶ θῦσαι τῷ Διί, ἀναβάντος μετὰ τῆς θεραπείας καὶ θύοντος, μετὰ ταῦτα κατὰ τὸν ἐθισμὸν ἐκ τῶν τυθέντων ἱερείων προς ενεχθέντων αὐτῷ τῶν σπλάγχνων δεξάμενος εἰς τὰς χεῖρας καὶ βραχὺ διακλίνας ἤρετο προτείνων τοῖς περὶ τὸν Ἄρατον τί δοκεῖ τὰ ἱερὰ σημαίνειν πότερον ἐκχωρεῖν τῆς ἄκρας ἢ κρατεῖν αὐτῆς; ὁ μὲν οὖν Δημήτριος αὐτόθεν ἐκ τοῦ προβεβηκότος „εἰμὲν μάντεως φρένας ἔχεις, ἔφη, ἐκχωρεῖν τὴν ταχίστην, εἰδὲ βασιλέως πραγματικοῦ τηρεῖν αὐτὴν ἵνα μὴ νῦν ἀφεὶς ζητῇς ἕτερον ἐπιτήδειον καιρόν. οὕτως γὰρ ἑκατέρων τῶν κεράτων κρατῶν μόνως ἂν ὑποχείριον ἔχοις τὸν*

βοῦν“ αἰνιττόμενος τὰ μὲν κέρατα τὸν Ἰθωμάτην καὶ τὸν Ἀκροκόρινθον, τὴν δὲ Πελοπόννησον τὸν βοῦν.....

§ 10 *λαβόμενος αὐτοῦ τῆς δεξιᾶς.“ ἄγωμεν, ἔφη, τοίνυν πάλιν τὴν αὐτὴν ὁδόν.*

Quod Plutarchus oratione Arati a Polybio discedit, magni momenti est. Diligentius enim illa oratio rem a Polybio propositam, qua fidem esse dicitur magnum imperii praesidium, exponit et a Plutarcho, qui rebus a Polybio traditis usus est, ad arbitrium suum scripta est. Eas partes, quibus dicuntur: *λησταὶ γὰρ ἐμφύονται πέτραις κ. τ. λ.* easque quibus valde reprehenduntur Philippi mores (cfr. cap. XLIX) haud scio an Plutarchus de suo addiderit. Plutarchum descriptionem Polybii excedere jam in cap. XLIX diximus.

Caput LI contingit Polybii relationem VII, 13, 1 et VIII, 14, 1. Caput LII accuratius congruit cum Polybii enarratione VIII, 14 *τόν γε μὴν Ἄρατον αὐτὸν οὐκ ἐλάνθανε τὸ κακόν..*

§ 5 *ἅπαντας γὰρ ἐπικρυπτόμενος τοὺς ἄλλους πρὸς ἕνα τῶν ὑπηρετῶν Κεφάλωνα διὰ τὴν συνήθειαν οὐκ ἔστεξε τὸν λόγον ἀλλ' ἐπιμελῶς αὐτῷ κατὰ τὴν ἀρρωστίαν τοῦ προςειρημένου συμπαρόντος καί τι τῶν πρὸς τῷ τοίχῳ πτυσμάτων ἐπισημηναμένον δίαιμον ὑπάρχον εἶπε“ ταῦτα τἀπίχειρα τῆς φιλίας, ὦ Κεφάλων, κεκομίσμεθα τῆς πρὸς Φίλιππον.*

Capite LIII arcte cum antecedente connexo Plutarchus honores describit, quibus Aratus mortuus affectus est, qui locus similis illis partibus e Polybio excerptis VIII, 14. Cfr. *διὰ τὸ πολλάκις τῆς ἀρχῆς τετευχέναι* = Arat. *τὸ ἑπτακαιδέκατον στρατηγοῦντος.*

Illa indicia in utraque narratione in eodem rerum ordine exstare grave est. Deïnde verba excerpta *μεταλλάζας τὸν βίον ἔτυχε πρεπούσης τιμῆς παρὰ τῇ πατρίδε καὶ παρὰ τῷ κοινῷ τῶν Ἀχαιῶν* omnino conveniunt accuratae descriptioni Plutarchi, qua quomodo Achaei cum Sicyoniis honoribus afferendis concertaverint, ostenditur. Facillime autem atque verisimillime affinitatem illarum relationum declaramus dicentes etiam hoc Plutarchi capite non referri nisi narrationem Polybii atque diligentiorem, quam illa brevissima excerpta VIII, 14 (cfr. *ἐψηφίσαντο... συλλήβδην ὅσα πρὸς αἰῶνιον ἀνήκει μνήμην.*)

Extremum caput a verbis *ὧν ἔτι δείγματα* et verba *καὶ*

καλεῖται ἔτι νῦν Ἀράτιον καὶ θύουσιν αὐτῷ θυσίαν ad Plutarchum ipsum revocanda sunt. — Descriptio ultimi capitis haud scio an ad Polybium referenda sit, quamquam congruentiam non perspicue videmus nisi uno loco, quod propter Polybii relationem non integram harum partium et propter brevitatem Plutarchi non mirum est. Quae de rebus Arati minoris ejusque uxore a Philippo abducta (Livius XXVII, 31) narrantur, ex Polybio hausta esse verisimile est. Res adversas, quas postea Philippus accepit, poenas esse, quibus fatum (*τύχη*) facinora scelesta illius ulciscens eum affecerit, ex Polybii XXIII, 10, 2 sqq. demanasse, manifestum est.

Hoc loco etiam dicendum est de brevi narratione Pausaniae II, 8, 2 usque ad 9, 4. — Res, quae hoc loco saepe non recte referuntur facile segregari possunt.* Erroribus autem remotis narratio restat, quae colore Arato amicissimo Cleomeni inimicissimo et affinitate, quam habet cum Plutarchi descriptione, Arati commentarios redolet. — Acerrima enim condemnatio Cleomenis omniumque rerum ab illo factarum, laus meritorum Arati, ved illorum quae historiae non gravia erant, velut illius auxilii quod Atheniensibus liberandis tulit, velut innocentiae, qua exsulibus Sicyoniis possessiones reconciliabat, fontem ostendunt, qui ex partibus Arati derivandus est. Accuratius illum definire possumus, si nostra cum

---

* In Paus.: VII, 2 *ὁ Ἄρατος ἀπεχώρησε ἐθελοντής* falsum indicium esse, manifestum est cfr. Kracauer l. l. p. 16. —

In VIII, 4 Nomen Antigoni Dosontis false pro Antigoni Gonnatae allatum est. — Ibidem Pausanias errat dicens: *αὐτίκα στρατηγὸς ᾕρητο ὁ Ἄρατος* cfr. Polyb. II, 43. — Falsa etiam est narratio mortis Persaei cfr. Plut. Arat. XXIII Hermipp. frg. 52 (Müller III p. 48) = Athen IV p. 162. —

In IX, 3 non recte refertur de morte Cleomenis cfr. Cleom XXXVII Polyb V, 39. —

Pugna apud Pellenen inter Agim et Aratum commissa II 8, 4 VII, 7, 2 VIII, 27, 9 commemorata jam a Schoemanno l. l. p. XXXVIII cfr. Droysen l. l. p. 421; Plass: Tyrannis p. 164 repudiata est. — In IX, 2 irruptio, a Cleomene in terram Megalopolitanorum facta, cum irruptione vere anni ducentesimi vicesimi primi facta (Cleom XXIII Polyb II, 55) nescio an confusa sit. Quae ibidem de indutiis, quas Cleomenes cum Achaeis fecerat, referuntur, quin ad eandem rem, quam Plutarchus Cleom V, 2 narrat, revocanda sint, dubitari vix potest. —

Plutarchi relatione comparavimus. Animus attendendus est imprimis ad id, quod Pausanias repetens a temporibus diu ante tempora Arati praeteritis velut Plutarchus a seditionibus post mortem Cleonis ortis, quibus Clinias, pater Arati, florere coeperat, initium descriptionis capit. Accedunt multa alia momenta. Conferas *τοὺς μὲν ἔλαθε ἅτε ἐν σκότῳ νύκτωρ γὰρ δὴ τὴν ἐπιχείρησιν ἐποιεῖτο τοὺς δὲ καὶ βιασάμενος τῶν φυλασσόντων ἐγένετο ἐντὸς τείχους καὶ ὑπέφαινε γὰρ ἕως ἤδη* = Plut. Arat. VII, 22 sqq VIII, 25 sqq. *ὁδὲ Νικοκλῆς αὐτὸς ἔλαθεν ἀποδράς* = Plut. Arat. IX, 5 *ἦν γὰρ δέος τοῖς πᾶσιν Ἕλλησιν Μακεδόνων καὶ Ἀντιγόνου, τοῦδε ἕνεκα τοὺς Σικυωνίους εἰς τὸ Ἀχαιῶν συνέδριον εἰςήγαγε Δωριεῖς ὄντας* = Arat IX, 19 sqq.

Ἄρατος δεινὸν ἡγεῖτο Πειραιᾶ καὶ Μουνυχίαν ἔτι δὲ Σαλαμῖνα καὶ Σούνιον ἐχόμενα ὑπὸ Μακεδόνων περιοφθῆναι, καὶ . . . Διογένην πείθει τὸν ἐν τοῖς φρουρίοις ἄρχοντα ἀφεῖναι τὰ χωρία ἐπὶ ταλάντοις πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν καὶ τῶν χρημάτων συνετέλεσεν ἕκτον μέρος = Arat XXXIV, 22 sqq.

Mirum quantum illa Pausaniae: *συμβαλὼν δὲ (ὁ Κλεομένης) περὶ Δύμην τὴν ὑπὲρ Πατρῶν Ἀράτου καὶ τότε ἡγουμένου τῶν Ἀχαιῶν νικᾷ τῇ μάχῃ* . . congruunt cum Plutarchi relatione Cleom XIV, ubi de iisdem rebus eum per interpositionem commentarios sequentem retulisse, demonstravimus. — Plutarchus autem haec dicit: *ἐστρατήγει μὲν γὰρ τότε Υπερβατᾶς τοῦ δ' Ἀράτου τὸ πᾶν ἦν κράτος ἐν τοῖς Ἀχαιοῖς.* — Conferatis praeterea: Pausan. IX, 3 *Ἀράτῳ δὲ Ἀντίγονος, ἅτε ἀνδρὶ εὐεργέτῃ καὶ συγκατειργασμένῳ λαμπρὰ οὕτω διέμεινεν εὔνους* et Plut. Arat XLVI, 3 *Ἀντίγονος δὲ πάντα τὰ δίκαια καὶ φιλάνθρωπα τῷ Ἀράτῳ πεποιηκώς . . . . τὸν διάδοχον τῆς βασιλείας Φίλιππον . . . πέμπων εἰς Πελοπόννησον Ἀράτῳ μάλιστα προςέχειν ἐκέλευσεν* . .

Quin propinquae sint illae relationes nemo dubitare potest. Sed de gradu cognationis a diversis diversa ratione haud scio an judicetur. Neque dubium est, quin commentarii Arati vel ipsi vel traditi ejus partis, de qua egimus, fontes habeantur, id quod pretio constituendo rerum, quas Pausanias refert, gravissimum esse debet.

Theses.

1. Ea, quae Pausanias VIII, 49 sqq. de rebus a Philopoemene gestis tradidit, non e Plutarchi vita Philopoemenis, id quod Nissen contendit, sed ex Polybii vita illius, ex qua etiam Plutarchus sua sumpsit, deprompta sunt.
2. Polyb. V, 39, 3 quae tradita sunt: „*τοῦτον μὲν κατασπάσαντες ἀπὸ τοῦ τεθρίππου παρέκλεισαν*“ falsa sunt et ex Plutarch. Cleom. 37, 5 corrigantur in: „*κατασπάσαντες ἀπὸ τοῦ τεθρίππου ἀπέκτειναν.*“
3. Pausan. II, 9, 1 Verba „*διὰ τῶν ἐφορευόντων*“ non, ut Droysen, Schubart, Walz, Dindorf volunt, vertenda sunt „per Ephoros“ sed „per custodes“ sive „per paedagogos“. —

